


(Catholic Church)

ACTA ET DECRETA

CONCILII

PLENARII BALTIMORENSIS

TERTII.

A. D. MDCCCLXXXIV.

PRAESIDE

Illmo. ac Revmo. JACOBO GIBBONS,

ARCHIEPISCOPO BALT. ET DELEGATO APOSTOLICO.

BALTIMORAE:

TYPIS JOANNIS MURPHY ET SOCIORUM,

SUMMI PONTIFICIS ATQUE ARCHIEPISCOPI BALTIMORENSIS TYPOGRAPHORUM.

MDCCCLXXXVI.

CONSPECTUS RERUM.

ACTA.

DECRETA.

TITULUS I.

DE FIDE CATHOLICA.

TITULUS II.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS III.

DE CULTU DIVINO.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTIS.

TITULUS V.

DE CLERICORUM EDUCATIONE ET INSTRUCTIONE.

TITULUS VI.

DE CATHOLICA JUVENTUTIS INSTITUTIONE.

TITULUS VII.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

TITULUS VIII.

DE ZELO ANIMARUM.

TITULUS IX.

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

TITULUS X.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS XI.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

APPENDIX.

DECRETUM PROMULGATIONIS CONCILII PLENARII BALTIMORENSIS TERTII.



JACOBUS GIBBONS,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS ET DELEGATUS APOSTOLICUS,

Omnibus Metropolitis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, Abbatibus, ceterisque Synodalibus, sive qui adfuerint Plenario Concilio Baltimorensi Tertio, sive qui legitime abfuerint:

SALUTEM IN DOMINO.

Decreta Concilii Plenarii Tertii mensibus Novembris et Decembris anni MDCCCLXXXIV Baltimorae habiti, uti nostis, Romam misimus recognoscenda et auctoritate Sedis illius, in qua Petrus Apostolorum Princeps adhuc vivit et praesidet, emendanda siqua inessent quae emendatione indigerent. Qua in re neque novum aliquod aut insolitum egimus, neque pietati tantum Vestrae et Nostrae morem gessimus; sed Ecclesiae id omnino jubentis legibus obsecuti sumus.

Meministis sane quanta diligentia in Concilio illo congregati perpendistis, quanta animorum conjunctione constituistis ea omnia quae ad Ecclesiarum nostrarum incolumitatem, utilitatem et incrementum apta et commoda viderentur. Iam vero quod non sine maxima Nostra Vestraque omnium laetitia dici potest, pro comperto habere licet, Vos tantae sollicitudinis, concordiae et prudentiae, qua Ecclesiarum et gregum Vestrorum bono consuluistis, fructum amplis-

simum tulisse. Cum enim Concilii decreta Eminentissimi Patres Sacro Consilio Christiano Nomini propagando praepositi accurata et diligenti inquisitione expendissent, nonnullasque emendationes ac modificationes adjecissent, eadem ut ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur recognoverunt. Decretum hac de re, quod SS. Dominus Noster post relationem Secretarii ejusdem Sacri Consilii expediri jussit, ad manus Nostras pervenit, et in archivo hujus Nostrae Metropolitanae Ecclesiae asservatur.

Nos igitur ea, qua tanquam Delegatus Apostolicus pollemus, auctoritate Decreta a Patribus Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii lata et a Sancta Sede recognita promulgamus per hasce praesentes, et pro rite promulgatis haberi volumus; et ab omnibus quorum interest inviolate servanda declaramus.

Declaramus insuper decreta omnia Concilii statim ab hac promulgatione vim suam et robur habere, plenariosque et integros sortiri effectus, quin ulteriori promulgatione opus sit, prout in Titulo Ultimo Concilii statuitur. Volumus tamen juxta ejusdem tituli tenorem, ut in Synodis Provincialibus et Dioecesanis post hanc Nostram promulgationem quamprimum habendis ad majorem cautelam et solemnitatem denuo promulgentur, simulque media idonea provideantur, quibus efficaciori eorundem executioni melius consulatur.

Datum ex aedibus nostris, Baltimorae, in festo Epiphaniae Domini, Anno Salutis MDCCCLXXXVI.

JACOBUS GIBBONS,
Archiepiscopus Baltimorensis
Delegatus Apostolicus.

GEORGIUS G. DEVINE, *Cancellarius.*

DECRETUM RECOGNITIONIS CONCILII PLENARII BALTIMORENSIS TERTII.

Ex quo Concilium Plenarium Secundum Baltimorense habitum fuit, Catholica Ecclesia in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus majora coepit incrementa ac fidelium numerus mirum in modum excrevit. Plures Sedes Episcopales ac novae Provinciae Ecclesiasticae erectae; strenua Episcoporum opera sacrae aedes aedificatae, ex quibus aliquae magnitudine et splendore cum insignioribus facile comparantur; plurimaque alia publicae beneficentiae Instituta exorta, tum calamitatibus sublevandis, tum inopiae sustentandae, tum deviis ad rectum justitiae tramitem reducendis. Ad haec plurimae religiosae Congregationes ubique diffusae, quae clero saeculari zelo valde commendabili praedito et arduis laboribus distento, manus auxiliatrices magna cum utilitate praestant. Enim vero SSmus. Dominus Noster Leo divina providentia PP. XIII. qua sollicitudine omnibus universi orbis ecclesiis novat operam, ad hanc lectissimam dominici gregis partem oculos convertit eo consilio, ut illius Praesules ad novam Plenariam Synodum habendam invitaret, in qua, spectata praesenti Christianitatis illius conditione, ad res ecclesiasticas ordinatius evolvendas ac regendas opportuna ederentur decreta. Cum itaque jam omnia ad illam celebrandam necessaria ac peropportuna praesto essent mense Novembri 1884 Archiepiscopi omnes et Episcopi Baltimoram convenerunt ac praeside ex Apostolica Delegatione Rmo. D. Jacobo Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi, Sacra Synodus solemniter habita fuit, et indefesso Patrum labore quamplurima tum ad ecclesiasticam disciplinam firmandam, tum ad abusus evellendos, tum ad catholicae juventutis sive laicae sive clericalis institutionem fovendam, tum ad Episcoporum electionem ac rerum temporalium administrationem magis magisque ordinandam, tum denique ad fidem conservandam et dilatandam valde utilia constituta, eaque omnia ad hanc Sacram Congregationem, ut ejus examini subjicerentur, transmissa sunt. Itaque Emi. Patres Sacro Consilio Christiano Nomini

Propagando praepositi in generalibus comitiis habitis diebus 17, 24, 27, et 31 mensis Augusti, nec non die 5 Septembris anni 1885, diligenti inquisitione adhibita, atque omnibus accurato studio debitaque judicii maturitate pensatis, Decreta ejusdem Concilii expenderunt et, nonullis emendationibus ac modificationibus adjectis, eadem ut ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur recognoverunt.

Hanc autem S. Congregationis sententiam Summo Pontifici Leoni XIII. a R. P. D. Dominico Iacobini ejusdem S. Congregationis Secretario in Audientia diei 10 Septembris 1885 relatam, Sanctitas Sua benigne approbare dignata est, et super his praesens Decretum expediri mandavit.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 21 Septembris, Anno 1885.

IOANNES CARD. SIMEONI *Praefectus.*

✠ D. ARCHIEP. TYREN. *Secret.*

ACTA CONCILII.

ACTA CONCILII.

LITERAE APOSTOLICAE.

Venerabili Fratri Jacobo Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Rei Catholicae incrementum, Ecclesiarum utilitatem et fidelium commoda ex debito Apostolicae servitutis Nostrae qua patet orbis intendentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, auditisque Venerabilibus Fratribus Foederatarum Septentrionalis Americae Ditionum Episcopis, Plenarium Concilium, mense Novembri, hoc vertente anno, Baltimorae per eosdem Sacrorum Antistites habendum decrevimus, ut iidem Episcopi, collatis consiliis, quae ad evellendos, funditusque tollendos, si qui irrepserint, abusus, ad ecclesiasticam disciplinam confirmandam, ad Dioecesium statum ita ordinandum, ut propius ad commune Ecclesiae jus, quantum fieri possit, accedat, et ad Catholicam religionem latius propagandam provehendamque opportuna in Domino judicaverint, proponant. Jam vero, quum Venerabilis Frater Noster Joannes S. R. E. Presbyter Cardinalis McCloskey, ex dispensatione Apostolica, Archiepiscopus Neo-Eboracensis, adversa detineatur valetudine, Tibi, Venerabilis Frater, cujus eximia pietas, doctrinae ac prudentiae laus, singularisque erga Sanctam Sedem Apostolicam fides et observantia perspecta Nobis est et explorata, praefatum indicendi convocandique Concilium, eique praesidendi munus, Apostolica Auctoritate Nostra,

harum Litterarum vi, delegamus. Volumus vero ac praecipimus, ut hujusce Concilii acta omnia et decreta ad Sanctam Sedem Apostolicam, pro eorumdem revisione et recognitione quam primum mittantur. Haec decernimus et jubemus, non obstantibus, licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die IV Januarii MDCCCLXXXIV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

TH. CARD. MERTEL.

SIGILLUM.

LITERAE INDICTIONIS CONCILII.



JACOBUS GIBBONS,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS ET DELEGATUS APOSTOLICUS,

Illustrissimis ac Reverendissimis Archiepiscopis, Episcopis et Vicariis Apostolicis, in Foederatis Septentrionalis Americae Statibus, necnon Reverendissimis Abbatibus atque Admodum Reverendis Religiosorum Ordinum aut Congregationum Praepositis, caeterisque omnibus qui de jure vel consuetudine Conciliis Provincialibus vel Plenariis adesse debent:

Salutem in Domino.

Decem et octo abhinc annis, divinae miserationis aspirante gratia, Concilium Plenarium Baltimorense Secundum celebratum fuit; et nemo ignorat quot ex illo bona provenerint pro salute ac perfectione fidelium in his regionibus degentium, quot emolumenta pietatis ad

majorem Dei Omnipotentis gloriam et ad Catholicae fidei exaltationem.

Nihilominus Catholicorum numerus ab illius Concilii tempore mirifice auctus, et Christianae vitae opera ubique apud nos diffusa ac multiplicata, certe requirunt ut novis florentis hujus Americanae Ecclesiae necessitatibus praesentibus, atque majori adhuc futurae ejusdem Ecclesiae prosperitati, sedulo ac mature provideatur.

Quamobrem Summus Pontifex Leo Papa XIII., Christi in terris Vicarius, inter multiplices maximique momenti curas regiminis totius Ecclesiae, vigilante ac benignissima sollicitudine partem hanc gregis fidelium prosequens, postquam de rebus ad praecipuam ejus utilitatem spectantibus cum omnibus Archiepiscopis Foederatorum Americae Septentrionalis Statuum, in eum finem Romae coactis, collocutus fuerit; Apostolica sua Auctoritate, cum Eminentissimus Joannes S. R. E. Cardinalis McCloskey, Archiepiscopus Neo-Eboracensis adversa valetudine detineretur, Nobis, licet indignis, per Literas die iv. Januarii hujus anni datas, indicendi convocandique Concilium Plenarium Baltimorae, eique praesidendi munus delegavit.

Itaque, ex potestate ab Apostolica Sede Nobis collata, invocato nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, implorato auxilio Immaculatae ac Beatissimae Virginis Mariae Deiparae, primariae horum Statuum Patronae coelestis; ad evellendos funditusque tollendos, si qui forte irrepserint, abusus, ad Ecclesiasticam disciplinam confirmandam, ad Dioecesium statum ita ordinandum, ut propius ad commune jus Ecclesiae quantum fieri possit, accedat, et ad Catholicam religionem latius propagandam, provehendamque; Indicimus atque Convocamus hisce Literis Tertium Plenarium Concilium Baltimorense, in Metropolitana nostra Ecclesia inchoandum, die nona Novembris currentis anni millesimi octingentesimi octogesimi quarti; atque ut conveniant tempore ac loco statutis Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, ceterique omnes qui de jure aut consuetudine Concilio indicto interesse debent, hortamur in Domino, et prout opus est, praecipimus ac mandamus.

Antistites, qui ex justa causa per se Concilio praesentes esse nequeunt, Procuratores legitimo procurationis documento munitos mittant; Nostri tamen Patrumque Concilii erit de impedimenti legitimitate et de procurationis validitate judicare.

Tandem rogamus omnes in Domino vehementer ac obtestamur, ut conjunctis atque enixis orationibus Venerabilium Pastorum totius

Cleri et Fidelium omnium a Deo, a quo sancta desideria, justa consilia et recta sunt opera, gratiam suppliciter impetremus, qua opus ab Ipso incoeptum ad felicem exitum perducamus.

Datum ex aedibus Nostris, Baltimorae, die XIX. Martii, in festo S. Josephi, Patroni Ecclesiae Universalis, A. D. MDCCCLXXXIV.

JACOBUS GIBBONS,
Archiepiscopus Baltimorensis et Delegatus Apostolicus.

Ex Mandato Illustrissimi et Reverendissimi Archiepiscopi.

GEORGIUS G. DEVINE,
Cancellarius.

LITERAE PATRUM CONCILII
AD
SS. D. N. LEONEM PP. XIII.

BEATISSIME PATER:

Charitate divina concordes et coelesti gaudio exultantes, ad pedes Sanctitatis Tuae, Concilio hoc Plenario Baltimorensi III. jam absoluto, spiritu accedimus, ut omnia quae communi consilio, adspirante Dei gratia, a nobis peracta sunt, Tibi devotis animis offeramus.

Et certe a Te Acta atque Decreta Concilii nostri recognoscenda, corrigenda et approbanda sunt, qui in Beatissimi Petri Apostolorum Principis Sede constitutus, Christi Vicarius es in terris, totiusque Ecclesiae militantis visibile Caput, plena ac suprema jurisdictione pollens in omnes et singulos pastores ac fideles; a Te opus Concilii nostri perficiendum est, qui ejusdem operis initiator et rector summus extitisti.

Quae jam ex Concilio ad religionis honorem et ad animarum salutem accepimus bona, quae nobis obventura speramus, Tibi post Deum tribuimus atque referimus. Et merito quidem, nam inter Ecclesiarum omnium sollicitudines hanc partem gregis a Christo Domino Tibi commissi paterno cordis affectu specialiter dilexisti; et in hoc omnium Praelatorum in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus

degentium Conventu aptissimum dedisti medium, quo apud nos abusus etiam leves qui irrepere potuerunt, tollantur, magis in dies pietas virtutesque omnes fulgeant, Deus in omnibus et per omnia glorificetur.

Juxta voluntatem Tuam nobis significatam de eis omnibus egimus, quae in Schemate a Sacra Congregatione de Propaganda Fide tradito continebantur, uno alterove disciplinae capite addito.

Quibus omnibus peractis, accedente Sanctitatis Tuae approbatione, certi sumus beneficia quibus Deus nos cumulavit servanda et augenda esse. Ipse enim Deus, quasi providentissimus Pater et bonorum omnium Auctor, non solum misericorditer et benigne nobiscum egit, sed etiam magnifice, ut libentur et grato animo fatemur. Ab ultimo enim Concilio Baltimorensi, anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto habito, quadraginta sex Dioeceses et Vicariatus usque ad tres et septuaginta creverunt; bis mille quingenti Sacerdotes ad septem fere millia adaucti sunt, et Religiosae Familiae, Scholae Parochiales, Collegia et omnes Christianae misericordiae domus mirifice floruerunt.

Tibi igitur, Beatissime Pater, iterum atque iterum debitas agimus gratias, cujus nutu in unum convenimus, cujus ductu consilium inivimus, in cujus veluti praesentia rem omnem discussimus; humanissima enim benevolentiae Tuae significatione, per effigiem Tuam in hunc finem a Te nobis missam, in medio Concilii nostri veluti Praeses adfuisti.

Hanc humillimae devotionis nostrae et grati animi testificationem benigne accipias, et Tibi sit novum pignus summi illius obsequii, quo Americana Foederatorum Statuum Ecclesia Romanos Pontifices prosecuta est semper. Solemne hoc amoris et observantiae testimonium nostrum sit tibi levamen inter maximas animi acerbitates aerumnasque omnes, quae Te undique premunt, ob impiam et diuturnam iniquorum contra Te et contra Christum persecutionem.

Utinam exurgat nunc Deus et dissipentur inimici ejus. Plena libertas Tua, quae necessaria est ad regendam Ecclesiam commissam, brevi Tibi vindicetur, et omnia fausta feliciaque ad majorem Divinae Majestatis gloriam, et ad salutem animarum Tibi eveniant.

Interim Apostolicam Benedictionem pro nobis et pro Ecclesiis nobis commissis humiliter efflagitamus.

Datum ex Concilio Plenario, Baltimorae, die VII. Decembris, A. D., MDCCCLXXXIV.

CONGREGATIONES PRAELIMINARES.

I. Metropolitarum.

Feria V., die 6 Novembris. Hora quinta postmeridiana convenerunt omnes Metropolitae in aedibus archiepiscopalibus et familiariter inter se consilia contulerunt de omnibus quae ad Concilii exitum felicem promovendum conducere possent.

II. Archiepiscoporum et Episcoporum.

Feria VI., die 7 Novembris. Hora sesqui-nona antemeridiana convenerunt Archiepiscopi et Episcopi in aula seminarii S. Mariae (S. Sulpitii) ut totum Concilii negotium ac ordinem definirent.

Delegatus Apostolicus, recitata oratione *Adsumus*, brevem ad Patres allocutionem habuit qua eos laete excepit et omnium quae hucusque facta fuerunt, rationem exposuit: omnia scilicet quantum in potestate sua positum erat, praeparata esse pro Concilio celebrando, non eo utique fine ut propria sua sensa Patribus imponeret, sed ut ipsimet eo promptius meliusque Concilii negotia expedire possent. Itaque expeditis Literis Indictionis simul cum exemplaribus Literarum Apostolicarum impressis, se universam Schematis Romani materiam, quae Romae in conventu Archiepiscoporum coram Cardinali Praefecto S. Congregationis de P. F. anno praeterito discussa fuerat, inter Metropolitas distribuisse, ut de parte sibi assignata unusquisque cum suffraganeis provinciae mature deliberaret. Relationes istarum deliberationum acceptas ac typis impressas omnibus Episcopis ad Concilium vocatis communicatas fuisse, ut si quae plura suggerenda viderentur, significarent. Demum accersitis ex variis provinciis theologis ab Ordinariis eorum commendatis, Schematis Romani materias, relationibus Metropolitarum prae oculis habitis, in formam decretorum redactas fuisse. Horum decretorum exemplar ad unumquemque Episcopum transmissum fuisse, quo paratior atque instructior ad Concilium accedere possit. Cum vero praeter decretorum Schema necesse sit prae manibus habere ordinem agendorum, quo totum Concilii negotium recte disponatur, se jam Patrum examini et approbationi submittere libellum in quo deputationes theologorum, variae congregationes sessionesque habendae, deliberandi methodus, ordo concionum, aliaque plura proponuntur.

Demum se sperare Concilium istud favente Dei gratia et intercedente B. Virgine, Patrona Nostra, talem exitum habiturum fore, qui votis Summi Pontificis fel. reg. responderet atque ad Dei gloriam maxime promovendam conduceret.

I. Lectus est deinde et approbatus Elenchus Synodalium. Proponente Archiepiscopo S. Ludovici et favente Archiepiscopo S. Francisci placuit patribus omnibus concedere votum decisivum Episcopis Coadjutoribus et iis qui sedibus suis renuntiarunt necnon Episcoporum vel administratorum procuratoribus. Suggerenti Cincinnatensi, ut Concilium protestetur se nolle ut actione sua ullum praejudicium in futuro fiat, respondit Petrensis rem istam decisam esse a S. Congregatione, ut apparet ex nota subjecta No. 60 Concilii Baltimorensis Plenarii II.

Cum vero de electo Episcopo Covingtonensi et Vicario Apostolico Idahensi ageretur, Delegatus Apostolicus a Praefecto S. Congregationis de Prop. Fide telegraphice quaesivit: "Poteritne votum decisivum concedi Glorieux Maesque, episcopis electis, brevibus nondum acceptis?"[1]

Rogati sunt procuratores ut literas procurationis exhiberent, quod cum fecissent Adm. R. Phelan et Rev. Joseph Lemmens recesserunt.

II. Lecto et approbato catalogo Officialium Concilii, sequens ordo Deputationum Episcoporum et Theologorum super diversos Schematis titulos et capita promulgatus est:

I. *Deputationes Episcoporum.*

DEPUTATIO I. SUPER NOVAS MATERIAS.

Illmus. et Rmus. Archp. Bostoniensis.
" " " Milwaukiensis.
" " " Chicaginensis.

DEPUTATIO II. SUPER CATECHISMUM.

Illmus. et Rmus. Archp. St. Francisi.
" " Episc. Burlingtonensis.

[1] Emus. Praefectus per nuntium telegraphicum respondit: "Affirmative, subscribant ut Episcopi electi."

Illmus. et Rmus. Episc. Buffalensis.
" " " Wayne-Castrensis.
" " " Peoriensis.
" " " Velingensis.
" " " Natchetensis.

DEPUTATI LITERARUM SCRIPTORES.

Ad Summum Pontificem:

Illmus. et Rmus. Delegatus Apostolicus.

Ad Clerum et Populum:

Illmus. et Rmus. Archp. Petrensis.
" Episc. Trentonensis.
" " Richmondensis.

Ad Societatem Fidei Prop.:

Illmus. et Rmus. Archp. Oregonopolitanus.
" Episc. S. Augustini.

II. *Deputationes Theologorum.*

DEPUTATIO I.

Super Titulum praevium, tit. I. et c. I. tit II.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. S. Fidei, *Praeses.*
" " " Anazarbensis.
Rmus. Episc. Epiphaniensis.
" " Portlandensis.
" " Mancestriensis.

Notarius:

Rev. Joseph L. Andreis.

Theologi:

Rmus. Georgius H. Doane.
Adm. Rev. Lucas Gottbehoede, O. S. F.

Adm. Rev. Petrus O. Racicot, S. J.
" " Thomas S. Smith, C. M.
" " Cyrillus Fournier, C. S. V.
" " Joannes B. Bigot, S. M.
" Jacobus McGolrick.
" H. Pefferkorn.
" Aemilius Sele, S. T. D.
" Gulielmus J. Wiseman, S. T. L.
" Aloysius Sabetti, S. J.
" Franciscus S. Dumont, S. S.

DEPUTATIO II.

Super cc. II.–VI. incl. tituli II.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Bostoniensis, *Praeses.*
Rmus. Episc. Campi Fontis.
" " Providentiae.
" " S. Antonii.
" " Eriensis.

Notarius:

Adm. Rev. Nicolaus A. Moes.

Theologi:

Rmus. Thomas S. Preston, V. G., LL. D.
Adm. Rev. Antonius Smith, V. G.
" " E. H. Brandts, V. G.
" " Vincentius Halbfass, O. S. F.
" " Leo de Sarracena, O. S. F.
" " Joannes B. Hogan, S. S., S. T. D.
" Thomas Griffin.
" Henricus Kinnerny.
" Ricardus Burtsell, S. T. D.
" Joannes McQuirk, S. T. D., LL. D.
" Carolus Sigl, C. SS. R.

Deputatio III.

Super cc. VII.–VIII. tituli II.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Oregonopolitanus, *Praeses.*
Rmus. Episc. Nesquallensis.
" " Helenensis.
" " Vincennopolitanus.
" " Antinoensis.
" " Mennitensis.

Notarius:

Adm. Rev. Joannes Sullivan, V. G.

Theologi:

Rmus. Bonifacius Wimmer, O. S. B., Archiabbas.
Rmus. M. Benedictus, Abbas Cisterciensis.
Adm. Rev. Thomas A. Casey, V. G.
" " Joseph Cataldo, S. J.
" " Gulielmus Loewekamp, C. SS. R.
" Dwight E. Lyman, V. F.
" Joannes T. Gaitley.
" Ricardus Scannell.
" Carolus Goldsmith, S. T. B.
" Alfredus A. Curtis.
" E. P. Walters.

Deputatio IV.

Super c. IX. tit. II.; tit. III.; et. c. I. tit. IV.

Episcopi:

Illmus. ét Rmus. Archp. Petrensis, *Praeses.*
Rmus. Episc. Roffensis.
" " Albanensis.
" " Vallispratensis.
" " Vic. Ap. Idahensis.

Notarius:

Adm. Rev. Joannes M. Farley.

Theologi:

Rmus. Gulielmus Quinn, V. G.
Adm. Rev. Jacobus McManus, V. G.
" " P. A. Ludden, V. G.
" " M. D. Lilly, O. P.
" " C. A. McEvoy, O. S. A.
" " Augustinus Morini, S. M.
" " Eduardus Sorin, C. S. C.
" " Jacobus Corrigan.
" Thomas Rafter.
" Ferdinand. Bergmeyer, O. S. F.
" Isidorus Daubresse, S. J.

DEPUTATIO V.

Super c. II. tituli IV.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Philadelphiensis, *Praeses.*
Rmus. Episc. Scrantonensis
" " Harrisburgensis.
" " Nashvillensis.
" " Curiocensis.
" " Covingtonensis.

Notarius:

Adm. Rev. P. A. Stanton, O. S. A., S. T. D.

Theologi:

Rmus. Fintanus Mundwiler, O. S. B., Abbas.
Adm. Rev. Ricardus Phelan, V. G.
" " Joannes F. Barry, V. G.
" " Bonaventura Frey, O. M. Cap.
" " Robertus Fulton, S. J.
" " F. A. Aigueperse, S. M.
" " J. W. Hickey, C. M.
" Thomas F. Coffee.
" Nicolaus Cantwell.
" Jacobus F. Mackin.
" Franciscus X. Weninger, S. J., S. T. D.

DEPUTATIO VI.

Super titulum V.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Delegatus Apostolicus, *Praeses.*
Rmus. Episc. Wilmingtonensis.
" " Savannensis.
" " Dibonensis.
" " Columbensis.
" " Hartfordensis.

Notarius:

Rev. Placidus L. Chapelle, S. T. D.

Theologi:

Adm. Rev. Eduardus McColgan, V. G.
" " Gulielmus Byrne, V. G., S. T. D.
" " Eduardus Cafferty, V. G.
" " Alphonsus Magnien, S. S., S. T. D.
" " Gulielmus Kieran, S. T. D.
" " Augustinus Zeininger.
" " P. V. Cavanagh, C. M.
" " Theophilus Pospisilik, O. S. F.
" " Elias F. Schauer, C. SS. R.
" " Isaac T. Hecker, C. S. P.
" Benjamin J. Keiley, Ph. D.
" Aemilius de Augustinis, S. J.

DEPUTATIO VII.

Super titulum VI.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Chicaginensis, *Praeses.*
Rmus. Episc. Peoriensis.
" " Crossensis.
" " Davenportensis.

Notarius:

Adm. Rev. Fredericus Wayrich, C. SS. R.

Theologi:

Rmus. Innocentius Wolf, O. S. B., Abbas.
Adm. Rev. P. G. Conway, V. G.
" " M. Hurley, V. G.
" " A. V. Higgins, O. P.
" " A. Mandine, C. M.
" " Theobaldus Butler, S. J.
" Bernardus J. McManus.
" Joannes Waldron.
" F. H. Zabel, S. T. D.

DEPUTATIO VIII.

Super titulum VII. et c. I. tituli VIII.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Cincinnatensis, *Praeses.*
Rmus. Episc. Detroitensis.
" " Clevelandensis.
" " S. Pauli.
" " Marquettensis.
" " Novarcensis.

Notarius:

Rev. Henricus Moeller, S. T. D.

Theologi:

Adm. Rev. Damasus Ruesing, O. S. F.
" " A. Gentile, S. J.
" " Thomas Steffanini, C. P.
" " Henricus Drecs, C. PP. S.
" Joannes C. Albrinck.
" Thomas S. Byrne.
" Robertus Doman.
" T. P. Thorpe.

Rev. Gulielmus Robbers.
" Januarius de Concilio.
" Carolus Piccirrillo, S. J.

Deputatio IX.

Super cc. II. III. IV. tituli VIII.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Neo-Aurelianensis, *Praeses.*
Rmus. Episc. Petriculanus.
" " Leavenworthensis.
" " Tiberiadis.
" " Richmondensis.
" " Adm. Mobiliensis.

Notarius:

Rev. Carolus P. Grannan, S. T. D.

Theologi:

Rmus. Praef. Ap. Territ. Indorum.
" D. Patritius Allen.
Adm. Rev. Joseph Lemmens.
" " Joannes Jos. Lessmann, S. J.
" " Alfredus Leeson, S. S. J.
" " Jacobus McGrath, O. M. I.
" Thomas S. Lee.
" A. Durier.
" Henricus L. Robinson.
" Joseph A. Stephan.
" Thomas M. A. Burke.
" J. J. Wedenfeller.

Deputatio X.

Super cc. I.-IV. incl. tituli IX.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. S. Ludovici, *Praeses.*
Rmus. Episc. Dubuquensis.
" " Kansanopolitanus.

Rmus. Episc. Brooklyniensis.
" " Joppensis.

Notarius:

Rev. D. Matthaeus Harkins.

Theologi:

Rmus. August. Bessonies, V. G.
Adm. Rev. Henricus Clüver, S. T. D.
" " Thomas Lynch, V. G.
" " Rogerius Ryan, V. G.
" " Georgius Ruland, C. SS. R.
" Joseph Sorg.
" M. C. O'Brien.
" Edmundus Didier.
" Thomas Bonacum.
" F. Goller.
" Bernardus Locnikar, O. S. B.

DEPUTATIO XI.

Super c. V. tituli IX.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. Milwaukiensis, ***Praeses.***
Rmus. Episc. Haliensis.
" " Sinus Viridis.
" " Carolopolitanus.
" " Ogdensburgensis.

Notarius:

Rev. D. P. M. Abbelen.

Theologi:

Rmus. Alexius Edelbrock, O. S. B., Abbas.
Adm. Rev. Fredericus Katzer, V. G.
" " Joseph Lesen, O. M. Conv.
" " Hyacinthus Epp, O. M. Cap.
" " Pius R. Mayer, O. C. C.
" " Leopoldus Bushart, S. J.
" Jacobus Keogh.
" Jacobus Trobec.

Rev. A. Trevis.
" Eduardus R. Dyer, S. S., S. T. D.
" S. Wall.

DEPUTATIO XII.

Super titulos X., XI. et ultimum.

Episcopi:

Illmus. et Rmus. Archp. S. Francisci, *Praeses.*
" " " " Cabasensis.
Rmus. Episc. Montereyensis.
" " Ludovicopolitanus.
" " Canopensis.
" " Fluminis Rapidi.
" " S. Augustini.

Notarius:

Rev. Sebastianus B. Smith, S. T. D.

Theologi:

Rmus. Frovenius Conrad, O. S. B., Abbas.
Adm. Rev. Thomas E. Walsh, V. G.
" " Carolus Linnenkamp, V. G.
" Daniel Riordan.
" Henricus A. Brann, S. T. D.
" Joseph P. O'Connell, S. T. D.
" Jacobus O'Reilly.
" J. A. Rochefort, O. P.
" Gulielmus F. Clarke, S. J.
" A. Varsi, S. J.
" Joseph Giustiniani, C. M.

III. Quoad Methodum Conciliarem quae sequuntur approbata sunt:

1. Congregationes Theologorum particulares, quae "deputationes" vocantur, singulis hebdomadae diebus, exceptis Dominicis, feria III. et VI., hora quarta postmeridiana, vel alia opportuniori ab Illmo. et Rmo. uniuscujusque deputationis praeside designanda, habentur,

usque dum cunctas res sibi propositas pertractaverint. Deputationes II. III. IV. VI. X. et XII. convenient in aedibus archiepiscopalibus; reliquae vero in conclavibus Seminarii majoris S. Mariae (S. Sulpitii).

2. Congregationes Synodalium publicae bis in hebdomada, nempe feriis III. et VI. hora quarta postmeridiana habentur, et quidem in ecclesia metropolitana. Hisce consessibus Episcopi rochetto et mozetta, theologi vero saeculares veste talari et superpelliceo, regulares habitu sui ordinis vestiti intersunt.

3. Congregationes Episcoporum privatae singulis diebus, excepta Dominica et feria V. uniuscujusque hebdomadae, hora decima antemeridiana, convenient in aula precum Seminarii majoris S. Mariae. In coetibus istis Episcopi rochetto et mozetta induuntur. Ordo vero hic servatur: *a.* Congregatis hora decima (et hora quarta, quoties bis die conventus agitur) Patribus cum Secretariis, Notario et Cancellariis, statas preces Delegatus recitat. *b.* Synodalium elenchus legitur, et notantur absentes. *c.* Lecto verbali seu actis conventus hesterni, aut approbatur, aut jubetur ut a secretariis corrigatur. *d.* Leguntur relationes: 1mo. Judicum Excusationum ac Querelarum; 2do. specialis, si qua erat, commissionis; 3tio. Theologorum Deputatorum de materia, quam mox examinaturi sunt Patres. *e.* De singulis decretis, a secretario prius lectis, deliberatur. *f.* Latis deinde suffragiis decreta approbantur, aut rejiciuntur, aut emendantur modo qui Patribus placuerit. *g.* Fusis iterum de more precibus, Patres synodales recedunt.

4. Sessiones demum, diebus Dominicis et feria V. hebdomadarum, celebrabuntur in ecclesia metropolitana, hora decima antemeridiana. Feria V. vero quae est dies 13 Novembris, in eadem ecclesia eademque hora celebrabitur Missa solemnis de *Requiem* pro Praesulibus defunctis.

5. In prima et ultima sessione fiet supplicatio seu processio Synodalium. Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Procuratores et Administratores, Officiales, necnon Praelati Domestici et Camerarii secreti Sanctitatis Suae convenient hora nona cum dimidia in aedibus archiepiscopalibus; ceteri omnes tam synodales quam extra-synodales, qui in processione incedent, conveniant hora nona cum quadrante in aula S. Alphonsi, viis dictis *Park* et *Saratoga.*

In reliquis sessionibus quicumque pluviali utuntur, conveniant in domo archiepiscopali, hora nona A. M., ceteri in sacristia eccle-

siae metropolitanae ejusque substructo conclavi eadem hora. Idem fiet in prima et ultima sessione, si ob coeli intemperiem supplicatio publica omittenda foret.

Missa in sessionibus solemnibus celebranda, quacum concordare debet color vestimentorum synodalium, erit Missa de Spiritu Sancto. In ultima vero sessione celebrabitur *ex speciali S. Sedis dispensatione* Missa de SS. Trinitate in gratiarum actionem.[1]

Nota. Ex speciali Summi Pontificis concessione, omnes Synodales Indulgentiam plenariam in forma consueta Ecclesiae sibi lucrari possunt per Benedictionem Papalem, quam Delegatus Apostolicus in fine tum primae tum ultimae sessionis impertiet.

6. Ordo in processione, necnon in sessionibus et praedictis variis congregationibus sequendus exhibetur in libello "Praxis Synodalis," P. I. cc. II. III. IV., et tota P. II. Si in una vel altera deputatione a norma ibidem statuta recedendum videatur, id in potestate praesidis deputationis positum est.

IV. Quo melius recto negotiorum tractandorum ordini ac deliberationis disputationisque modo consuleretur, regulae quaedam, vulgo *Parliamentary Rules* nuncupatae, quae prae ceteris usu veniunt et tractationi conciliari sunt adaptatae, ex more priorum Conciliorum summatim propositae et a Patribus approbatae sunt.

"1. A majority of those entitled to a decisive vote shall constitute a quorum.

"The Bishops, as is the custom, shall vote by rising in their respective places, except when a secret ballot is called for by a sufficient number of votes.

"2. All questions shall be decided by a majority vote, except the following: (*a*) the ayes and noes shall be taken on the demand of twelve. (*b*) A two-thirds vote shall be required to suspend the rules of order, or to introduce for discussion a matter referred to a Committee and not reported by them. All motions to suppress entirely a question, or limit debate, shall be considered as equivalent to motion for suspension of rules. (*c*) Any one may call for a division of a question that admits of it.

"3. Every one entitled to a vote shall vote on every question, unless specially excused.

"4. The *Schema* of the Council, together with the suggestions

[1] Propositum nempe fuit habere sessionem ultimam Dominica Novembris ultima, quae fuit Dominica prima Adventus.

concerning it, submitted by the Committees, shall constitute the order of the day. A motion 'to pass to the order of the day' shall take precedence of all other business, except a motion to adjourn, or a question of privilege.

"5. The Most Rev. President of the Council has the casting vote in case of a tie; should he decline to use it, the question does not pass.

"6. No motion is before the Council, till it has been seconded and stated by the President or Promoter. Before being stated, it may be withdrawn or modified by the mover; but when once stated, this can be done only by a regular vote.

"7. No question can be debated, till it is regularly before the Council.

"8. Any one desiring to speak, shall rise in his place, address the President, and on being recognized by him, speak briefly and to the question then before the Council.

"9. As a rule, no one shall speak twice on the same subject, until all who desire to speak on it have spoken. The proposer of a motion is usually allowed to speak first after the question has been stated to the Council; and when he desires it, he is also permitted to close the debate.

"10. Should the Council limit the time each speaker may occupy in discussing any subject, the Promoter shall rap when the time has expired; but by ananimous consent, the speaker may be allowed to continue.

"11. When one is speaking, no one can interrupt him, unless, if recognized by the President, for a point of order, to ask a question, or for a matter of privilege.

"12. When a question is under debate, no motion shall be in order, except 'to adjourn,' 'to lay on the table,' 'for the previous question,' 'to postpone to a certain day,' 'to commit,' or 'to amend;' which several motions shall have precedence in the order in which they are here arranged. The motion for adjourment shall always be in order, when offered by one entitled to the floor (except in cases where it was the next preceding motion). The motion 'to adjourn,' the motion 'to lay on the table,' and the motion 'to refer to a Standing Committee,' shall be decided without debate.

"13. No proposition once negatived by the Council can be renewed, unless change of words or circumstances make it practi-

cally a different proposition. But a vote can be reconsidered, if a majority so desire; in this case, the one who moves a reconsideration must have voted with the majority.

"14. Objection to the consideration of a subject can only be made when the question is first introduced, *before debate.*

"15. All amendments, like all original propositions, must be in writing and in Latin, and must state clearly the change proposed and how the passage should read as amended.

"16. When a principal question and subsidiary questions are before the Council at the same time, they are to be voted on as follows: First, a substitute, if any; then an amendment to an amendment; then the amendment; and finally the main question as it then stands.

"17. Debate on any question may be closed by a call for 'the previous question,' which must be voted on without debate. Upon such call, the President shall ask: 'Shall the main question be now put?' If a majority so decide, the question before the Council must then be voted on without further debate.

"18. A matter laid on the table may be called up for consideration by a majority vote, at any subsequent meeting.

"19. Special Committees shall be appointed by the President, unless it be otherwise requested by him, or directed by the Council in any particular case. The mover of a question is usually appointed Chairman of the Special Committee to consider it.

"20. All Special Committees shall return a written report in Latin, signed by the members offering it. Such report is to be adopted, recommitted or otherwise disposed of, like any other question.

"21. If any one, in speaking or otherwise, transgress the above rules, the Most Rev. President or the Promoter shall, or any member of the Council may, call to order; and the one so called to order shall sit down and not proceed without leave of the Council. If any doubt arise as to the violation of the rules, the question shall be finally decided by the President without debate."

V. Probata sunt deinde decreta praeliminaria in proxima sessione prima promulganda, ordo concionum ad populum, et acclamationes pro ultima sessione. Ordo concionum propositus fuit sequens

1. Conciones ad Populum in Ecclesia Metropolitana.

Die 9 Nov., Dominica.—" De Conciliis Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Archp. Philadel.
—" De Unitate Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Ep. Harrisburg.
" 10 " feria II.—" De Ecclesia justi regiminis fautrice,"
Illmus. et Rmus. Ep. S. Pauli.
" 11 " " III.—" De Ecclesia scientiae promotrice,"
Illmus. et Rmus. Ep. Wilmington.
" 12 " " IV.—" De Divinae Revelationis necessitate,"
Illmus. et Rmus. Ep. Clevelandensis.
" 14 " " VI.—" De Missionibus apud Aborigines,"
Illmus. et Rmus. Archp. Oregonopol.
" 16 " Dominica.—" De Sacerdotio,"
Illmus. et Rmus. Archp. Cincinnaten.
—" De Clericorum perfectiori educationi,"
Illmus. et Rmus. Ep. Peoriensis.
" 17 " feria II.—" De Laïcorum informatione,"
Illmus. et Rmus. Ep. Columbensis.
" 18 " " III.—" De Matrimonio Christiano,"
Illmus. et Rmus. Ep. Trentonensis.
" 19 " " IV.—" De Observantia Diei Dominicae et Festorum,"
Illmus. et Rmus. Ep. Buffalensis.
" 21 " " VI.—" De Nigrorum salute procuranda,"
Illmus. et Rmus. Ep. Savannensis.
" 23 " Dominica.—" De Sacrificio Missae,"
Illmus. et Rmus. Ep. Petriculanus.
—" De Sanctitate Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Ep. Dubuquensis.
" 24 " feria II.—" De Catholicitate Ecclesiae,"
Illmus et Rmus. Ep. Dibonensis.
" 25 " " III.—" De Societatibus Catholicis,"
Illmus. et Rmus. Ep. Richmondensis.
" 26 " " IV.—" De Ecclesiae in Statibus Unitis profectu,"
Illmus et Rmus. Ep. Roffensis.
" 28 " " VI.—" De B. M. V. Harum Provinciarum Patrona,"
Illmus. et Rmus. Ep. Vincennopol.
" 30 " Dominica.—" De Perpetuitate Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Archp. Cabasensis.[1]

[1] Cum Concilium per aliam hebdomadem protractum fuerit, series quoque concionum ad finem usque completa est, et de Romani Pontificis praerogativis fuse tractatum.

2. CONCIONES PRO GERMANIS IN ECCLESIA S. ALPHONSI.

Die 9 Nov., Dominica.—" De Conciliis Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Archp. Milwaukien.
" 12 " feria IV.—" De Indefectibilitate et Infallibilitate Eccl.,"
Illmus. et Rmus. Ep. Tiberiadis.
" 14 " " VI.—" De Unitate et Sanctitate Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Ep. Detroitensis.
" 16 " Dominica.—" De Apostolicitate et Catholicitate Ecclesiae,"
Illmus. et Rmus. Ep. Wayne-Castrensis.
" 19 " feria IV.—" De Ecclesiae in Stat. Unitis conditione,"
Illmus. et Rmus. Ep. Sinus Viridis.
" 21 " " VI.—" De Scholis Catholicis,"
Illmus. et Rmus. Ep. Nashvillensis.
" 23 " Dominica.—" De Indissolubilitate et Sanctitate Matrimonii,"
Illmus. et Rmus. Ep. Nashvillensis.
" 26 " feria IV.—" De Primo Ecclesiae Mandato,"
Illmus. et Rmus. Ep. Crossensis.
" 28 " " VI.—" De Amore SS. Cordis Jesu erga homines."
Illmus. et Rmus. Ep. Novarcensis.
" 30 " Dominica.—" De B. M. V. Matre Christi et Nostra,"
Illmus. et Rmus. Ep. Nesquallensis.

VI. 1. Rebus istis ad Concilii ordinem proxime spectantibus absolutis, auctoribus Archiepiscopis S. Ludovici et S. Francisci, Patres comitatum constituerunt, praeside Archiepiscopo S. Ludovici, qui omnium nomine nuntium telegraphicum ad Summum Pontificem transmittat. Simili modo, proponente Chicaginensi ac favente Cincinnatensi, comitatus electus est pro nuntio telegraphico ad Eminentissimum Cardinalem McCloskey, Archiepiscopum Neo-Eboracensem, infirmitate domi detentum, mittendo.

2. Placuit praeterea Patribus scribere epistolam ad Episcopos Germaniae, qua de sua constantia medias inter persecutiones laudentur et in certamine pro Deo et Ecclesia confirmentur.

3. Demum proposuit Velingensis Episcopus, ut Concilium protestetur contra spoliationem bonorum S. Congregationis de Propaganda Fide a Gubernio Italico peractam. Respondetur, hac de re verba facienda esse in Literis Pastoralibus.

III. OMNIUM SYNODALIUM.

Sabbato, die 8 Novembris. Hora decima antemeridiana habita est publica tam Patrum quam theologorum congregatio in ecclesia

metropolitana. Recitata per Delegatum Apostolicum oratione *Adsumus*, brevem fecit allocutionem. Incipiens de scopo Concilio proposito, animadvertit, unum esse utriusque ordinis hierarchici finem et propositum, gloriam Dei, Ecclesiae propagationem, salutem animarum. "Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus." (I Cor. XII. 4 sqq.) Uno itaque studio atque corde omnibus laborandum est; mutuum in ferendis novis legibus auxilium sibi praestare debent Episcopi atque presbyteri collatis inter se tam scientiae quam experientiae consiliis. Quidquid enim ex una parte conciliat clero dignitatem ipsi debitam semper erit Episcopis acceptissimum, et ex alia non est dubium quin aeque clero gratum sit quidquid veram foveat Episcoporum auctoritatem. Indivisa enim sunt studia ac dignitas nostra, neque dividi possunt. Patrum ergo desiderium est ut theologi ad Concilium vocati, quae ipsis in Domino bene visa fuerint circa decreta proposita variaque disciplinae ecclesiasticae capita, libere et aperte fateantur. Omnium enim mentibus quasi fratrum in unum habitantium concordantibus, Spiritus ille pacis et unitatis, de quo S. Paulus tam pulchre loquitur, opus Nostrum ad felicem exitum perducet.

Quibus dictis, Delegatus Apostolicus mandavit ut per Cancellarium legantur, quae in coetu hesterno approbata sunt, scilicet Elenchus Synodalium, Catalogus Officialium, Ordo Deputationum, Methodus Conciliaris et Ratio Deliberandi. Quibus publicatis et lecto *Decreto de Secreto Servando et Schemate Decretorum Restituendo*, Concilii Praeses rogavit: "Promittitisne silentium vos omnes sancte servaturos, et tradenda vobis Decretorum Schema fideliter restituturos?" Responderunt singuli: "Promitto per fidem sacerdotalem." Libelli decretorum et Ordinis Agendorum, finita congregatione, theologis distributi sunt.

Denique Delegatus Apostolicus promulgavit *Decretum de Prima Sessione Solemni* crastina die celebranda. Dictis deinde precibus, omnes recesserunt.

SESSIONES SOLEMNES.

SESSIO PRIMA.

Dominica XXIII. post Pentecosten, die nona mensis Novembris, A. D. MDCCCLXXXIV., festo Patrocinii B. M. V., habita est prima sessio solemnis Concilii Baltimorensis Plenarii Tertii in ecclesia metropolitana S. Mariae in coelum Assumptae. Hora nona cum dimidia antemeridiana convenerunt Illmi. et Revmi. Praesules et majores synodales in aedibus archiepiscopalibus; ceteri vero synodales in aula S. Alphonsi, viis dictis *Park* et *Saratoga*. Qui in aedibus Archiepiscopi convenerant ibi proprias sui ordinis vestes induerunt, scilicet Archiepiscopi, Episcopi et Abbates pluvialia et mitras. Nullus vero praeter Apostolicum Delegatum baculum pastoralem ferebat. Reliqui ibidem congregati, inter quos erant Praelati Domestici et Camerarii secreti Sanctitatis Suae (cujus dignitatis viri prima vice tali occasione in hisce regionibus visi sunt), pluvialia cum biretis sumpserunt.

Omnibus paratis, et ante aedes archiepiscopales jam dispositis theologis Concilii atque reliquo clero, cujus magnus numerus ex provinciis vicinioribus advenerat, incepta est processio ordine sequenti:

Subdiaconus cum Cruce processionali.
Alumni Seminarii S. Mariae (S. Sulpitii).
Clerus regularis.
Clerus saecularis.
Chorus Cantorum.
Theologi Patrum.
Notarii et Secretarii.
Superiores Ordinum Religiosorum.
Rectores Seminariorum majorum.
Camerarii Secreti Sanctitatis Suae.
Praelati Domestici Sanctitatis Suae.
Procuratores Episcoporum absentium.
Revmi. Abbates.
Illmi. et Revmi. Episcopi.
Illmi. et Revmi. Archiepiscopi.

Thuriferarius.
Subdiaconus cum Cruce Archiepiscopali.
Presbyter Assistens Delegati Apostolici.
Delegatus Apostolicus inter Diaconos Assistentes
Ministri Delegati Apostolici.

Dum per vias viciniores inter densissimas populi turbas ecclesiam peterent, hymnos *Veni Creator Spiritus*, *Ave Maris Stella* et *Psalmos 80, 83, 86* decantabant. Synodalibus omnibus et reliquo Clero in ecclesia rite dispositis, ingressus est omnium Concilii Patrum senior, Illmus. et Rmus. Archiepiscopus S. Ludovici, missam de Spiritu Sancto celebraturus, cui assistebant Adm. Rev. P. A. Stanton, O. S. A., S. T. D., uti presbyter; Adm. Rev. D. Lyman, V. F., diaconus, et Adm. Rev. N. A. Moes, subdiaconus. Delegatus Apostolicus thronum occupabat medius inter diaconos assistentes Rev. DD. Georgium G. Devine et Alfredum A. Curtis, presbytero assistente Adm. Rev. Eduardo McColgan, V. G.

Missa finita concionem *De Conciliis Ecclesiae* ad clerum populumque habuit Illmus. et Rmus. Patritius J. Ryan, Archiepiscopus Philadelphiensis.

Tunc incepta est sessio synodalis in qua, sicut et in sequentibus, omnia juxta Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum fidelissime peracta sunt. Lectum igitur est sequens

Decretum De Synodo Aperienda.

"In Nomine Sacrosanctae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

"Nos Jacobus Gibbons, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Baltimorensis atque ejusdem Sedis Apostolicae Delegatus, ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis et Salvatoris Nostri Jesu Christi; in honorem Beatissimae et Immaculatae Virginis Dei Genitricis Mariae, harum Provinciarum primariae Patronae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli; ad aedificationem Ecclesiae Dei, ad pietatem fovendam et zelum animarum augendum tam in Clero quam in populo, ad corrigendos abusus, statuimus et decernimus, de consilio et consensu Illmorum. et Rmorum. Episcoporum hujus Concilii Synodalium, hoc ipso die, qui est nonus mensis Novembris, anni millesimi octingentesimi octogesimi quarti, Deo adjuvante initium fieri, et jam factum esse hujus Plenarii Concilii Baltimorensis

Tertii, quod ad hunc diem et locum convocavimus et indiximus per literas Nostras die decimo nono Martii hujus ejusdem anni datas.

"Faxit Deus, ut quidquid a nobis in hoc Concilio coeptum absolutumque fuerit, ad Ipsius honorem, ad Ecclesiae commodum, et ad animarum salutem recte fiat et maxime proficiat."

Instante primo Concilii Promotore ut nomina omnium, qui Concilio Plenario interesse debent et ad illud vocati fuerant, vocentur, Secretarius quaesita Patrum sententia annuenteque Concilii Praeside, Synodalium Elenchum publice perlegit, et sequentes ad vocationem nominum responderunt:

I. *Praesules.*

Illmus. et	Rmus.—	Jacobus Gibbons,	Archp.	Balt., et Sedis Apostolicae Delegatus.
"	"	Petrus R. Kenrick,	Archp.	S. Ludovici.
"	"	Joseph S. Alemany, O. P.,	"	S. Francisci.
"	"	Joannes B. Lamy,	"	S. Fidei.
"	"	Joannes J. Williams,	"	Bostoniensis.
"	"	Carolus J. Seghers,	"	Oregonopolitanus.
"	"	Michael Heiss,	"	Milwaukiensis.
"	"	Patritius A. Feehan,	"	Chicaginensis.
"	"	Gulielmus H. Elder,	"	Cincinnatensis.
"	"	Franciscus X. Leray,	"	Neo-Aurelianensis.
"	"	Patritius J. Ryan,	"	Philadelphiensis.
"	"	Michael A. Corrigan,	"	Petrensis, Coadj. Neo-Eboracen.
"	"	Patritius G. Riordan,	"	Cabasensis, Coadj. S. Francisci.
"	"	Joannes B. Salpointe,	"	Anazarbensis, Coadj. S. Fidei.
"	"	Joannes Loughlin,	Episc.	Brooklyniensis.
"	"	Ludovicus de Goesbriand,	"	Burlingtonensis.
"	"	Joannes Hennessy,	"	Dubuquensis.
"	"	Eduardus Fitzgerald,	"	Petriculanus.
"	"	Gulielmus G. McCloskey,	"	Ludovicopolitanus.
"	"	Gulielmus O'Hara,	"	Scrantonensis.
"	"	Bernardus J. McQuaid,	"	Roffensis.
"	"	Tobias Mullen,	"	Eriensis.
"	"	Joseph P. Machebeuf,	"	Epiphaniensis, Vic. Ap. Colorado.
"	"	Thomas A. Becker,	"	Wilmingtonensis.
"	"	Joannes J. Hogan,	"	Kansanopolit., Adm. S. Joseph.
"	"	Stephanus V. Ryan, C. M.,	"	Buffalensis.
"	"	Jeremias Shanahan,	"	Harrisburgensis.
"	"	Casparus H. Borgess,	"	Detroitensis.
"	"	Patritius T. O'Reilly,	"	Campi Fontis.
"	"	Ludovicus M. Fink, O.S.B.,	"	Leavenworthensis.
"	"	Franciscus McNeirny,	"	Albanensis.
"	"	Joseph Dwenger, C. PP. S.,	"	Wayne-Castrensis.
"	"	Ricardus Gilmour,	"	Clevelandensis.

Illmus. et Rmus.—Edgarus P. Wadhams, Episc. Ogdensburgensis.
" " Thomas F. Hendricken, " Providentiae.
" " Gulielmus H. Gross, C.SS.R. " Savannensis.
" " Franciscus Mora, " Montereyensis et Angelorum.
" " Dominicus Manucy, " Adm. Mobilien. et Brownsvillen.
" " Joannes J. Kain, " Velingensis.
" " Rup. Seidenbusch, O. S. B., " Halien., Vic. Ap. Minnesot. Sept.
" " Jacobus A. Healy, " Portlandensis.
" " Franciscus X. Krautbauer, " Sinus Viridis.
" " Joannes Ireland, " S. Pauli.
" " Jacobus O'Connor, " Dibonensis, Vic. Ap. Nebraskae.
" " Joannes L. Spalding, " Peoriensis.
" " Joannes Moore, " S. Augustini.
" " Franciscus S. Chatard, " Vincennopolitanus.
" " Joannes J. Keane, " Richmondensis.
" " Laurentius S. McMahon, " Hartfordiensis.
" " Joannes Vertin, " Marionopolitanus et Marquetten.
" " Aegidius Junger, " Nesquallensis.
" " Martinus Marty, O. S. B., " Tiberiadis, Vic. Apost. Dakotae.
" " Joannes B. Brondel, " Helenensis.
" " Joannes A. Watterson, " Columbensis.
" " Patritrius Manogue, " Vallispratensis.
" " Franciscus Janssens, " Natchetensis.
" " Joannes C. Neraz, " S. Antonii.
" " Kilianus C. Flasch, " Crossensis.
" " Venantius M. Wigger, " Novarcensis.
" " Michael J. O'Farrell, " Trentonensis.
" " Henricus P. Northrop, " Carolopolitanus.
" " Nicolaus A. Gallagher, " Canopensis, Adm. Galvestonensis.
" " Henricus J. Richter, " Fluminis Rapidi.
" " Joseph Rademacher, " Nashvillensis.
" " Dionysius Bradley, " Mancestriensis.
" " Henricus Cosgrove, " Davenportensis.
" " Camillus P. Maes, " electus Covingtonensis.
" " Alphonsus J. Glorieux, " electus Vic. Apost. Idahensis.
" " Thomas L. Grace, " Mennitensis.
" " Eugenius O' Connell, " Joppensis.
" " Joannes Jos. Conroy, " Curiocensis.
" " Isidorus Robot, O. S. B., Abbas, Praef. Apost. Ter. Indor.
Adm. Rev. E. H. Brandts, V. G., Administrator Covingtonensis.
" " R. Phelan, V. G., Procurator Episcopi Pittsburgensis.
" " F. H. Zabel, S. T. D., " Episcopi Altonensis.
" " Joannes Lemmens, " Adm. Vancouveriensis.
Rmus. D. Bonifacius Wimmer, O. S. B., Archiabbas S. Vincentii.
" " Fintanus Mundwiler, O. S. B., Abbas S. Meinradi.
" " Alexius Edelbrock, O. S. B., " S. Joannis.
" " Innocentius Wolf, O. S. B., " S. Benedicti.
" " Frovenius Conrad, O. S. B., " Neo-Montis Angelorum.
" " M. Benedictus, " Cist. de Trappa, Gethsemani.

II. *Praelati Domestici Sanctitatis Suae.*

Rmus. D. Robertus Seton, S. T. D., LL. D., Proton. Apost.
" " Patritius Allen.
" " Georgius H. Doane.
" " Gulielmus Quinn, V. G.
" " Thomas Preston, V. G., LL. D.
" " Jacobus A. Corcoran, S. T. D.
" " August. Bessonies, V. G.

III. *Camerarii Secreti.*

Adm. Rev. D. Henricus Clüver, S. T. D.
" " " Joannes Sullivan, V. G.
" " " Joannes M. Farley.

IV. *Ordinum Religiosorum Superiores.*

Adm. Rev. Fr. Michael D. Lilly,	Prov. Ordinis Fratrum Praedicatorum.
" " " Vincentius Halbfass,	" Ordinis Fratrum Minorum S. Franc.
" " " Lucas Gottbehoede,	" " " " "
" " " Theophilus Pospisilik,	" " " " "
" " " Damasus Ruesing,	" Ord. Frat. Min. S. Fransc. Strict. Obs.
" " " Joseph Lesen, S. T. D.,	" Ord. Min. Conventualium S. Franc.
" " " Bonaventura Frey,	" Ordinis Minorum Cappucinorum.
" " " Hyacinthus Epp,	" " " "
" " " C. A. McEvoy,	" Ordinis S. Augustini.
" " " Pius R. Mayer,	Supr. Ordinis Carmelitarum Calceat.
" " " Augustinus Morini,	" Ordinis Servorum B. M. V.
" " D. Robertus Fulton, S. J.,	Prov.
" " " Leopoldus Bushart, S. J.,	"
" " " Theobaldus Butler, S. J.,	"
" " " Joannes Jos. Lessman, S.J.,	"
" " " Joseph Cataldo, S. J.,	"
" " " Aloysius M. Gentile, S. J.,	"
" " " Thomas Smith,	Supr. Congregationis Missionis.
" " " A. Mandine,	" " "
" " " Jacobus Strub,	Prov. Congregationis S. Spiritus.
" " " Elias F. Schauer,	" Congregationis SS. Redemptoris.
" " " Gulielmus Lœwekamp,	" " " "
" " " Thomas Steffanini,	" Congregationis Passionis.
" " " Jacobus McGrath,	" Oblatorum Mariae Immaculatae.
" " " Henricus Drees,	" Cong. Pretiosissimi Sanguinis.
" " " Joannes B. Bigot,	Supr. Societatis Mariae.
" " " Eduardus Sorin,	" Generalis Congregationis S. Crucis.
" " " A. Aigueperse,	Prov. Societatis Presbyter. Misericordiae.
" " " Cyrillus Fournier,	Supr. Congregationis S. Viatoris.
" " " Isaac T. Hecker,	" Presbyterorum S. Pauli Apostoli.
" " " Alfredus Leeson,	" Societatis S. Joseph.

V. *Superiores Seminariorum Majorum.*

Adm. Rev.	Alphonsus Magnieu, S. S., S. T. D.,	Sem.	S. Sulpitii, Baltimoren.
" "	Gulielmus Byrne, S. T. D., V. G.,	"	S. Mariae ad Montes.
" "	Henricus Gabriels, S. T. D.,	"	S. Joseph, Trojani.
" "	Augustinus Zeininger,	"	S. Franc. Salesii, Milwauk.
" "	Gulielmus Kieran, S. T. D.,	"	S. Caroli Borromaei, Phila.
" "	Jacobus H. Corrigan,	"	Imm. Concept., Novarcensis.
" "	Nicolaus A. Moes,	"	S. Mariae, Clevelandensis.
" "	J. B. Hogan, S. S., S. T. D.,	"	S. Joannis, Bostoniensis.
" "	J. W. Hickey, C. M.,	"	S. Vincentii, S. Ludovici.
" "	Patritius V. Cavanagh, C. M.,	"	SS. Angelorum, Buffalen.
" "	Theophilus Pospisilik, O. S. F.,	"	S. Bonaventurae, Buffalen.

VI. *Theologi.*

Adm. Rev.	Eduardus McColgan, V. G.,	pro	Delegato	Apostolico.
" "	Alphonsus Magnien, S.S., S.T.D.,	"	"	"
" "	Aemilius de Augustinis, S. J.	"	"	"
" "	Elias F. Schauer, C. SS. R.,	"	"	"
"	F. Goller,	"	Archp.	S. Ludovici.
"	Thomas Bonacum,	"	"	"
"	Georgius Ruland, C. SS. R.,	"	"	S. Francisci.
"	S. Rochefort, O. P.,	"	"	"
"	Petrus A. Racicot, S. J.,	"	"	S. Fidei.
"	Aloysius Sabetti, S. J.,	"	"	"
"	J. B. Hogan, S. S., S. T. D.,	"	"	Bostoniensi.
"	Matthaeus Harkins,	"	"	"
"	Jacobus F. Mackin,	"	"	Oregonopolitano.
"	Alfredus A. Curtis,	"	"	"
"	P. M. Abbelen,	"	"	Milwaukiensi.
"	Jacobus Keogh,	"	"	"
" "	P. J. Conway, V. G.,	"	"	Chicaginensi.
"	Joannes Waldron,	"	"	"
"	Joannes C. Albrinck,	"	"	Cincinnatensi.
"	Thomas S. Byrne,	"	"	"
"	E. Durier,	"	"	Neo-Aurelianensi.
"	Thomas S. Lee,	"	"	"
Rmus. D.	J. A. Corcoran, S. T. D.,	"	"	Philadelphiensi.
Rev.	Nicolaus Cantwell,	"	"	"
Rmus. D.	Gulielmus Quinn, V. G.	"	"	Petrensi.
Rev.	Isidorus Daubresse, S. J.,	"	"	"
"	Daniel J. Riordan,	"	"	Cabasensi.
"	Henricus A. Brann, S. T. D.,	"	"	"
Rmus. D.	Georgius H. Doane,	"	"	Anazarbensi.
Rev.	Gulielmus J. Wiseman, S. T. L.,	"	"	"
"	Joseph P. O'Connell, S. T. D.,	"	Episc.	Brooklyniensi.
Adm. Rev.	Thomas Lynch, V. G.,	"	"	Burlingtonensi.

Adm. Rev.	Rogerius Ryan, V. G.,	pro Episc.	Dubuquensi.
"	Thomas M. A. Burke,	" "	Petriculano.
"	Aemilius Sele, S. T. D.,	" "	Ludovicopolitano.
"	Thomas F. Coffee,	" "	Scrantonensi.
" "	Jacobus T. McManus, V. G.,	" "	Roffensi.
" "	Thomas Casey, V. G.,	" "	Eriensi.
"	Ed. R. Dyer, S. S., S. T. D.,	" "	Epiphaniensi.
"	Benjamin J. Keiley, Ph. D.,	" "	Wilmingtonensi.
" "	Christoph. Linnenkamp, V. G.,	" "	Kansanopolitano.
"	Joseph M. Sorg,	" "	Buffalensi.
"	Bernardus J. McManus,	" "	Harrisburgensi.
"	Robertus Doman,	" "	Detroitensi.
"	Thomas Griffin,	" "	Campi Fontis.
"	Jacobus O'Reilly,	" "	Leavenworthensi.
" "	P. A. Ludden, V. G.,	" "	Albanensi.
"	E. P. Walters,	" "	Wayne-Castrensi.
"	T. P. Thorpe,	" "	Clevelandensi.
" "	Thomas Walsh, V. G.,	" "	Ogdensburgensi.
"	Henricus F. Kinnerny,	" "	Providentiae.
" "	Eduardus Cafferty, V. G.,	" "	Savannensi.
"	Joseph Giustiniani, C. M.,	" "	Montereyensi.
"	Henricus L. Robinson,	" "	Mobiliensi.
" "	Joannes Sullivan, V. G.,	" "	Velingensi.
"	Bernardus Locknikar, O. S. B.,	" "	Haliensi, Vic. Ap. Minn. Sept.
"	Michael C. O'Brien,	" "	Portlandensi.
" "	Fredericus Katzer, V. G.,	" "	Sinus Viridis.
"	Jacobus McGolrick,	" "	S. Pauli.
"	Januarius de Concilio,	" "	Dibonensi, Vic. Ap. Nebr.
" "	Michael Hurley, V. G.,	" "	Peoriensi.
"	Ricardus L. Burtsell, S. T. D.,	" "	S. Augustini.
"	Ferd. Bergmeyer, O. S. F.	" "	Vincennopolitano.
"	Franciscus S. Dumont, S. S.	" "	Richmondensi.
" "	Leo da Sarracena, O. S. F.	" "	Hartfordiensi.
"	F. X. Weninger, S. J., S. T. D.,	" "	Marianopolitano.
"	Joannes T. Gaitley,	" "	Nesquallensi.
"	J. A. Stephan,	" "	Tiberiadis, Vic. Ap. Dakotae.
" "	Dwight E. Lyman, V. F.,	" "	Helenensi.
"	A. V. Higgins, O. P., S. T. M.,	" "	Columbensi.
"	A. Varsi, S. J.,	" "	Vallispratensi.
"	Carolus Piccirrillo, S. J.,	" "	Natchetensi.
"	H. Pefferkorn,	" "	S. Antonii.
"	Carolus Goldsmith, S. T. B.,	" "	Crossensi.
"	Sebastianus B. Smith, S. T. D.,	" "	Novarcensi.
" "	Antonius Smith, V. G.,	" "	Trentonensi.
"	J. J. Wedenfeller,	" "	Carolopolitano.
"	Gulielmus Francisc. Clarke, S. J.,	" "	Canopensi, Adm. Galvest.
"	Thomas Rafter,	" "	Fluminis Rapidi.
"	Ricardus Scannell,	" "	Nashvillensi.
" "	Joannes E. Barry, V. G.,	" "	Mancestriensi.

Rev. A. Trevis,	pro Episc. Davenportensi.
" Gulielmus Robbers,	" " el. Covingtonensi.
" S. Wall,	" Vic. Ap. el. Idahensi.
" Jacobus Trobec,	" Episc. Mennitensi.
" Edmundus Didier,	" " Joppensi.
" Jo. McQuirk, S. T. D., LL. D.,	" " Curiocensi.
" Carolus Sigl, C. SS. R.,	" Pr. Ap. Territorii Indorum.

Abfuerunt a Concilio infirmitate detenti:

Eminentissimus Joannes Cardinalis McCloskey, Archiepiscopus Neo-Eboracensis.

Illmus. et Rmus.	Petrus J. Baltes,	Ep. Altonensis.
" "	Joannes Tuigg,	" Pittsburgensis.
" "	Ignatius Mrack,	" Antinonensis.
" "	A. M. A. Blanchet,	" Iborensis.
" "	L. Lootens,	" Castabalensis.
" "	Maria Claudius Dubuis,	" Galvestonensis in Gallia degens.

Ex aliis ad Concilium vocatis abfuerunt ob causas sufficientes:

Adm. Rev. S. J. Jonckau,	Administrator Vancouver.
Rmus. D. Leonardus Batz, V. G.,	Praelatus Domesticus S. S.
" " Julianus Benoit, V. G.,	" " "
Adm. Rev. Franciscus Villarassa,	Provincialis Ord. Praed.
" " Nicolaus Congiato, S. J.	Provincialis.
" " Joannes N. Reinbolt,	Provincialis Fratrum Mariae.
" " Georgius McCloskey,	Rector Seminarii Ludovicopolitani.

Primae huic sessioni hospes interfuit Illmus. et Rmus. Petrus Maria Osouf, Vicarius Apostolicus Japoniae Septentrionalis.

Lectum est deinde

Decretum De Concilii Officialibus.

"Quoniam ad negotia in hoc Concilio juxta Sacrae Liturgiae normam et traditionis ecclesiasticae morem rite, ordinatim et expedite peragenda opus est, ut quidam ministri sive Officiales designentur qui Nobis et hujus Concilii Patribus in diversis officiis fungendis praesto sint, ideo de consensu Reverendissimorum Patrum Synodalium sequentes Synodi officiales constituimus:

Promotores:

Illmum. et Rmum. Episc. Velingensem.
" " " Natchetensem.

4

Judices Excusationum et Querelarum:

Illmum. et Rmum. Episc. Brooklyniensem.
" " " Burlingtonensem.
" " " Ludovicopolitanum.
" " " Leavenworthensem.

Notarium:

Rmum. Robert. Seton, S. T. D., LL. D., Prot. Ap.

Secretarios:

Rmum. Jacobum Andream Corcoran, S. T. D.
Adm. Rev. Henricum Gabriels, S. T. D.
" Sebastianum G. Messmer.
" Dionysium J. O'Connell, S. T. D.

Cancellarios:

Rev. Georgium G. Devine.
" Joannem S. Foley, S. T. D.

Notarios Deputationum:

Adm. Rev. Joannem Sullivan, V. G.
" " Joannem M. Farley.
" " P. A. Stanton, O. S. A., S. T. D.
" " Nicolaum A. Moes.
" " Fredericum Wayrich, C. SS. R.
" Placidum L. Chapelle, S. T. D.
" Joseph L. Andries.
" Sebastianum B. Smith, S. T. D.
" Matthaeum Harkins.
" P. M. Abbelen.
" Henricum Moeller, S. T. D.
" Carolum P. Grannan, S. T. D.

Caeremoniarios:

Rev. Jacobum McCallen, S. S.
" Michaelem Kelly.
" Thomam Broydrick.

Cantores:

Rev. Gabrielem André, S. S.
" Gulielmum E. Bartlett.
" Josephum O'Keeffe.
" Antonium Lammel.
" Joseph Cassidy.
" Joannem B. Drennan.
" Joannem Marr.

Postea promulgata sunt *Decreta de Praejudicio non Afferendo, de Methodo Vitae in Concilio Servanda, de non Discedendo,* ut in Concilio Plenario II. exstant. Lectis etiam decretis Tridentinis *de Residentia* (Sess. VI., c. I. de Ref., Sess. XXIII., c. I. de Ref.) Secretarius promulgavit sequens

Decretum De Professione Fidei.

"Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut Fides Catholica quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet et quae solidissimo Petrae fundamento nititur, incorrupta in Nostris Provinciis vigeat et augescat, decernimus et statuimus, ut ab unanimi professione ejusdem fidei, quam salutis humanae initium et fundamentum praedicamus, praesentis quoque Synodi actiones sumant exordium et incrementum. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Idcirco patrum exempla et S. Concilii Tridentini ordinationem pie venerantes praecipimus, et Reverendissimos confratres Episcopos, necnon omnes in hac Synodo congregatos invitamus, ut professionem fidei secundum formam a Pio Papa IV. concinnatam emittant, una cum clausula de Romani Pontificis primatu deque ejus infallibili magisterio addenda juxta Pii fel. rec. Papae IX. praescriptum."

Decreto perlecto, Delegatus Apostolicus ad altare, reliqui synodales in locis suis genuflexi, sequentem *Professionem Fidei* clara voce proclamabant:

"Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre

natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

"Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

"Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Chris-

tum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

"Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et Infallibili Magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia."

Tempore pro proxima sessione solemni indicto, Delegatus Apostolicus omnibus praesentibus benedictionem papalem impertivit. Synodales deinde totusque clerus processionaliter ad aedes Archiepiscopi reversi sunt.

Sessio Secunda.

Die Dominica, quae fuit xxiv. post Pentecosten, decima sexta Novembris, habita est sessio secunda solemnis. Missam solemnem celebravit Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Bostoniensis, cui assistebant presbyter Adm. Rev. J. B. Hogan, S. S., diaconus Rev. D. Thomas Griffin, subdiaconus H. F. Kinnerny. Delegato Apostolico assistebant iidem qui in sessione prima. Sermonem *De Sacerdotio* ad

clerum populumque fecit Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Cincinnatensis.

Postea incepta est Sessio synodalis, populo praesenti. Omnia juxta rubricas peracta sunt, et lecta decreta sub Titulo praevio, Titulo I., *De Fide Catholica;* Tituli II. c. I., *De Episcopis*, c. II., *De Consultoribus Dioecesanis;* Tituli III. c. I., *De Facultate bis eodem die Missam celebrandi.* Instante primo promotore et assentientibus Concilii patribus lecta sunt praedicta decreta per summa tantum capita, quod idem et in sequentibus sessionibus factum est quoties decreta publicanda erant, ne sessiones nimium in longum traherentur.

SESSIO TERTIA.

Die vigesima tertia Novembris, Dominica ultima post Pentecosten modo consueto sessio habita est. Missam solemnem celebravit Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Chicaginensis, cui inservierunt presbyter assistens Adm. Rev. P. J. Conway, V. G., diaconus Adm. Rev. Augustinus Morini, Ordinis Servorum B. M. V., subdiaconus Adm. Rev. Cyrillus Fournier, Congregationis S. Viatoris. Delegato Apostolico assistebant iidem qui Dominica praecedenti. Sermonem ad clerum populumque habuit Illmus. et Rmus. Episcopus Petriculanus, doctrinam Catholicam *de Sacrificio Missae* exponens.

In sessione tunc incepta Secretarius mandante Concilii praeside, per summa capita promulgavit decreta sub Titulo II. *De Personis Ecclesiasticis*, cc. III.–VII.; Titulo III. *De Cultu Divino*, cc. II.–IV.; et Titulo IV. *De Sacramentis*, c. I. Haec omnia decreta a Patribus approbata sunt. Benedictione a Delegato Apostolico impertita, sessio finita est.

SESSIO QUARTA.

Die Novembris ultima, Dominica prima Adventus, hora consueta Synodales ad Missam solemnem convenerunt, et quidem sine pluvialibus. Missam diei celebravit Illmus. et Rmus. Episcopus Brooklyniensis. Presbyter Assistens fuit Rev. Joannes Foley, diaconus Rev. Joseph P. O'Connell, subdiaconus Rev. Jacobus F. Mackin; assistentes vero Delegati Apostolici iidem qui in praecedenti sessione. Illmus. ét Rmus. Episcopus Dubuquensis sermonem *De Sanctitate Ecclesiae* ad clerum populumque fecit. Lecta sunt in hac sessione decreta sub Titulo IV., c. II. *De Matrimonio;* Titulo V., *De Clericorum Educatione et Instructione*, et Titulo VI., *De Catholica Juventutis Institutione.* Tota sessio peracta est modo consueto.

SESSIO QUINTA ET ULTIMA.

Die septima Decembris, Dominica II. Adventus, et pridie festi Immaculatae Conceptionis B. M. V., habita est ultima sessio solemnis Concilii Tertii Plenarii Baltimorensis. Hospites adfuerunt Illmi. et Rmi. Archiepiscopi Torontoniensis et Halifaxiensis, Episcopi Kingstoniensis, Hamiltonensis, et Eudociensis, Auxiliaris Archiepiscopi Torontoniensis.

Missam solemnem de Sanctissima Trinitate celebravit Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Petrensis, Coadjutor Archiepiscopi Neo-Eboracensis. Missae inservierunt presbyter assistens Rmus. Thomas Preston, V. G., diaconus Rev. H. L. Robinson, subdiaconus Rev. H. A. Brann. Delegato Apostolico assistebant iidem qui in prima sessione solemni.

Cum Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Cabasensis, Coadjutor Archiepiscopi S. Francisci, aegritudine detineretur quominus sermonem ad populum haberet, Illmus. et Rmus. Episcopus Peoriensis in ejus locum suffectus est qui *De hujus Concilii Opere* disseruit.

Deinde inchoata est sessio synodalis. Lecta sunt decreta Tituli VII., *De Doctrina Christiana*, Tituli VIII., *De Zelo Animarum*, Tituli IX., *De Bonis Ecclesiae Temporalibus*, Tituli X., *De Judiciis Ecclesiasticis*, Tituli XI., *De Sepultura Ecclesiastica*, et Titulus ultimus.

Decretis super altare positis Patres Concilii bini et bini hinc illinc accedentes lubentur subscripserunt. In veritatis attestationem documentum demum subsignarunt Concilii Protonotarius, Secretarii et Cancellarii.

Lecto deinde *Decreto de Synodo concludenda*, Diaconus respondentibus Synodalibus cantavit sequentes:

Acclamationes.

Cantor. Sanctissimae et Individuae Trinitati, aeterna gloria et gratiarum actio.

Chorus. Charitas Pater, Gratia Filius, Communicatio Spiritus Sanctus, O Beata Trinitas.

Cant. Beatissimae Mariae, ob praevisa Filii sui merita ab originali labe praeservatae, harum Foederatarum Provinciarum almae Patronae, laus et veneratio.

Chor. Benedicta sit Virgo Deipara, sine labe originali Concepta, quae est Turris Eburnea ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium!

Cant. Beatissimo Pontifici Leoni Papae XIII., feliciter regnanti, totius Ecclesiae Capiti, ac vero Christi in terris Vicario, illibata prosperitas, aeterna memoria!

Chor. Impleat Dominus petitiones Sanctissimi Patris, et ita omne consilium ipsius adversus inimicos dilectissimae Christi Sponsae confirmet, ut ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, et sicut deficit fumus deficiant!

Cant. Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Baltimorensi, Apostolicae Sedis Delegato, cujus officio et opera hoc Concilium Plenarium coadunatum, directum, et ad felicem finem est perductum, cum multis annis magnae gratiae!

Chor. Cum multis annis magnae gratiae! Dominus retribuat operum ejus mercedem; immarcescibilem gloriae coronam percipiat!

Cant. Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis, qui hoc Concilium Plenarium doctrina prudentiaque sua illustrarunt, felicem ad eorum greges reditum, vitam, et in Deo omnia fausta!

Chor. Pax sempiterna, uberrima Omnipotentis benedictio et laborum beata retributio!

Cant. Reverendissimis Abbatibus, ac Admodum Reverendis Religiosarum Communitatum Superioribus, necnon et Theologis, qui sua doctrina suoque opere Patres in tractandis negotiis juvarunt, incrementum gratiae, aeterna felicitas!

Chor. Det eis Deus, secundum Suam bonitatem, omne donum perfectum! Deus scientiarum et veri luminis fons indeficiens, mentes eorum supernae claritatis lumine illustret, gratia foveat, virtuteque corroboret!

Cant. Clero istarum Provinciarum, et universo Christi gregi, salus et benedictio a Domino!

Chor. Vias tuas, Domine, demonstra illis, et dirige eos in veritate tua, ut non obliviscantur opera Altissimi, et mandata ejus exquirant!

Cant. Almae nostrae Reipublicae, pax summa, prosperitas plena, ac Dei Omnipotentis supereffluens benedictio!

Chor. Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi Tu Deus Noster!

Cant. Universo harum Provinciarum Foederatarum populo, pax indeficiens, indissolubilis concordia!

Chor. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, ut, qualibet perturbatione submota, corde uno et anima una libere Tibi deserviant!

Cant. Omnibus fidelibus defunctis, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis!

Chor. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis!

Cant. Nos vero, ut jubet Apostolus, Praepositis nostris obediamus, eorumque mandatis pareamus, ut cum gaudio nobis invigilent quasi rationem pro animabus nostris reddituri!

Chor. Fiat! Fiat! Amen! Amen!

Tunc inter resonantes organi et musicorum sonos Patres Concilii a Delegato Apostolico accipiebant osculum pacis, quod sibi invicem quoque reddebant. Antequam reliqua peragerentur quae facienda supererant, venerabilis vir et tam aetate quam promotione sua Episcopatus in hisce regionibus decanus, Illmus. et Rmus. Archiepiscopus S. Ludovici, stans pro altari omnium nomine Delegatum Apostolicum et Concilii Praesidem pro summa ejus prudentia et benignitate erga Patres amplissimis laudibus extulit, eique omnia fausta et felicia precatus est. Delegatus Apostolicus, stans ad altare, verbis disertissimis et omnium corda commoventibus respondit, gratias agendo Patribus pro votis oblatis. Non sibi tribuendam esse felicem negotiorum tractationem et exitum, sed Patrum erga se bonae voluntati. Multorum, ait, variorumque testis fui conciliorum tam provincialium quam plenariorum, immo et Concilii Oecumenici; testis interfui deliberationibus quae in comitiis Senatorum et Deputatorum apud urbem Reipublicae Nostrae principem habentur; in parliamentis (quae vocant) tum Galliae tum Angliae; verum tamen luculentiora pacis et concordiae, fraternae caritatis humanitatisque exempla, quam intra Patres hujus Concilii conspecta sunt, non vidi. Nulla hic acerba contentio, sed potius miranda quaedam facilitas et comitas, qua pauciores plurimorum suffragiis victos se dedebant eorumque sententiam haud inviti amplectebantur. Diversae quidem fuerunt congregatorum nationes et linguae, multimoda singulorum studia atque consilia, variae personarum mentes et indoles, at una fuit in fide, caritate ac proposito sancto anima Patrum et cor unum. Profecto, si Summus Pontifex, cujus imago in aula Concilii Patrum deliberationi quasi invigilabat, non specie tantum ab artifice delineata, sed ipsissima persona praesens adfuisset, laetissimo corde clamasset:

"Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum." Modo separabimur, multi quidem in tali coetu conciliari non amplius conventuri. At in spe vitae futurae et immortalitatis nostrae confidimus speciem et amplitudinem et splendorem hodierni consessus imaginem esse coelestis illius concilii in quo et nos congregandi erimus, de quo S. Joannes ait: "Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis et palmae in manibus eorum." (Apoc. VII. 9.)

Cantato dein hymno *Te Deum*, et impertita benedictione Papali, omnes processione solemni, ut in prima sessione, ad aedes archiepiscopales recesserunt.

Atque ita absolutum fuit Concilium Plenarium Baltimorense Tertium.

Picta S. Pontificis, Leonis XIII., effigies, quam Archiepiscopis Statuum Foederatorum anno superiori Romae congregatis benigne donaverat, in aula majori Seminarii S. Mariae, ubi privatae Patrum congregationes in ipso imaginis illius conspectu habitae erant, relicta est ad perpetuam rei memoriam et in testificationem grati Patrum animi erga sacerdotes S. Sulpitii.

Aequum plane videtur hoc loco meminisse quanta humanitate, benignitate atque hospitalitate cives urbis Baltimorae, etiam qui non sunt domestici fidei, Patres Concilii reliquosque synodales, quorum non exiguus fuit numerus, prosecuti sint. Nec tantum viri privati, verum etiam auctoritates civiles publice synodalium coetum diversimode honore habuerunt. Summa quoque urbanitate rei tabellariae publicae praefectus toto Concilii tempore unum ex officialibus suis speciali synodalium usui ac commodo delegavit.

Quibus omnibus Delegatus Apostolicus, peracto Concilio, gratissimos synodalium animos testatus est.

MISSAE SYNODALES SOLEMNES ABSQUE SESSIONE.

I. Missa de Requiem.

Feria quinta, die decima tertia Novembris, Synodales convenerunt hora nona in aedibus Archiepiscopi ac in sacristia ecclesiae metropolitanae. Patres Concilii et reliqui synodales majores induebant pluvialia nigra, theologi ceterique presbyteri superpellicea tantum. Missam solemnem *de Requiem* celebravit Illmus. et Rmus. Archiepiscopus S. Francisci. Presbyter Assistens fuit Adm. Rev. Henricus Gabriels, diaconus Rev. S. G. Messmer, subdiaconus Rev. D. J. O'Connell. Delegato Apostolico ad thronum assistebant Adm. Rev. A. Magnien cum diaconis A. A. Curtis et G. G. Divine.

Missa peracta Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Petrensis, Coadjutor Neo-Eboracensis, sermonem ad clerum populumque habuit quo praesules inde ab ultimo Concilio Baltimorensi Plenario defunctos laudavit. Hi autem erant:

Illmus. et Rmus.	J. M. Odin,	Archiep.	Neo-Aurelianensis.
" "	M. J. Spalding,	"	Baltimorensis.
" "	J. R. Bayley,	"	"
" "	J. M. Henni,	"	Milwaukiensis.
" "	Fr. N. Blanchet,	"	Oregonopolitanus.
" "	J. F. Wood,	"	Philadelphiensis.
" "	J. B. Purcell,	"	Cincinnatensis.
" "	N. J. Perché,	"	Neo-Aurelianensis.
" "	J. Timon,	Episc.	Buffalensis.
" "	P. J. Lavialle,	"	Ludovicopolitanus.
" "	Fr. Baraga,	"	Marquettensis.
" "	G. A. Carrell,	"	Covingtonensis.
" "	H. T. Juncker,	"	Altonensis.
" "	P. P. Lefèvre,	"	Zelanus, Coadj. Detroit.
" "	M. Demers,	"	Vancouveriensis.
" "	Fr. Résé,	"	Detroitensis.
" "	J. McGill,	"	Richmondensis.

Illmus. et Rmus.	M. O'Connor,	Episc.	Pittsburgensis.
" "	J. Melcher,	"	Sinus Viridis.
" "	J. M. O'Gorman,	"	Raphaneae, Vic. Ap. Nebraskae.
" "	R. V. Wheelan,	"	Velingensis.
" "	F. P. McFarland,	"	Hartfordiensis.
" "	D. G. Bacon,	"	Portlandensis.
" "	A. Martin,	"	Natchitochetensis.
" "	A. Verot,	"	S. Augustini.
" "	M. St. Palais,	"	Vincennopolitanus.
" "	A. Rappe,	"	Clevelandensis.
" "	M. Domenec,	"	Pittsburgensis.
" "	Th. Amat,	"	Montereyensis.
" "	Th. Galberry,	"	Hartfordiensis.
" "	S. H. Rosecrans,	"	Columbensis.
" "	J. Whelan,	"	Nashvillensis.
" "	Th. Foley,	"	Chicaginensis.
" "	J. H. Luers,	"	Wayne-Castrensis.
" "	A. D. Pellicer,	"	S. Antonii.
" "	P. N. Lynch,	"	Carolopolitanus.
" "	C. de la Hailandière,	"	Vincennopolitanus.
" "	J. Quinlan,	"	Mobiliensis.
" "	J. McMullen,	"	Davenportensis.
" "	J. B. Miege,	"	Leavenworthensis.
" "	A. Toebbe,	"	Covingtonensis.

Concione finita, absolutiones consuetae ad lectum peractae sunt secundum Caerem. Epp. rubricas, a quatuor senioribus Archiepiscopis, scilicet S. Ludovici, S. Francisci, S. Fidei, et Bostoniensi, ac demum ab Illmo. et Rmo. Delegato Apostolico.

II. Missa in Gratiarum Actionis Die.

Feria quinta, die vigesima septima Novembris. Cum cives Americani hac ipsa die, invitante supremo Reipublicae Praeside, per omnes Statuum Foederatorum provincias ab operibus servilibus plerumque abstinerent, ad gratias Deo agendas pro beneficiis intra annum Reipublicae collatis, visum est et Patribus Concilii, suspenso labore, huic pio mori parere. Itaque nulla hodie habita est sessio synodalis. At hora decima in pleno Synodalium consessu Missam solemnem cantavit Illmus. et Rmus. Archiepiscopus S. Fidei, adstantibus presbytero Isidoro Daubresse, S. J., diacono Adm. Rev. Eduardo

Cafferty, V. G., subdiacono Carolo P. Grannan. Assistentes vero Delegati Apostolici fuere iidem qui die decima tertia hujus mensis.

Post Evangelium Missae cantatum, Illmus. et Rmus. Episcopus Peoriensis, occasione diei arrepta concionem habuit de obligatione, qua cives horum Statuum Foederatorum, ac praesertim cives Catholici, tenentur gratias agere Deo O. M. pro beneficiis quae Divina Providentia anno elapso tam in Rempublicam quam in singulos cives diffudit.

Missa finita, Illmus. et Rmus. Archiepiscopus Milwaukiensis sermonem Latinum ad synodales habuit *De Dignitate Sacerdotali.*

Benedictione a Delegato Apostolico data omnes recesserunt.

Solemnibus Concilii functionibus descriptis jucundum est recordari, Musicam sacram, suavem divini cultus comitem, quae inter sacros Concilii ritus decantabatur, vere fuisse, ut Caer. Epp. (l. I., c. 28) praecipit, devotam, distinctam et intelligibilem, atque ad pietatem fovendam ordinatam. Quod enim cantus sessionum, vesperarum atque benedictionum vespertinarum spectat, ii fere omnes ab officialibus Concilii cantoribus atque centum ferme seminarii alumnis concinebantur illo cantu antiquissimo, qui a S. Gregorio nominatur, vere ecclesiastico et omnis cantus ecclesiastici fonte (C. Colon.). Modulationes vero musicae intra missas solemnes et vespertinas dominicarum benedictiones a conjunctis ecclesiarum cathedralis et S. Jacobi choris producebantur. Concentus isti figurati, tam a vetustioribus (Palaestrina, Suriano, etc.) quam a modernis (Witt, Greith, etc.) compositi, ejus generis erant, quod Pius IX. hisce verbis laudavit: "Multum ad movendos animos atque ad pietatem excitandos sacri concentus possunt, solemnibus Ecclesiae supplicationibus sociati, dummodo ita fuerint excogitati ingenio atque elaborati industria, ut sanctitati Divinae Domus rituumque majestati respondeant."

E CONGREGATIONIBUS PRIVATIS EXCERPTA.

I. Nuntia telegraphica ad S. Pontificem, et ad Cardinalem Neo-Eboracensem.

In congregatione prima privata, die 10 Novembris, Rmus. Delegatus Apostolicus Patribus significavit se ipsorum nomine, quemadmodum in coetu praeliminari Feria VI. praecedenti habito conventum fuerat, nuntium telegraphicum ad SSmum. Patrem Nostrum Leonem XIII. parasse, sed fuisse Pontificis benignitate praeventum; Ipsum enim die Sabbati sponte sua nuntium telegraphicum una cum Apostolica Benedictione ad Concilii Patres transmisisse. Nuntius hisce verbis conceptus erat: "Il santo Padre invia sua benedizione ai Padri del Concilio Plenario oggi inaugurato. *Luigi Card. Jacobini.*" Se vero Patrum nomine illico respondisse his verbis: "Octoginta tres praesules in Concilio congregati Sanctitati Tuae gratias agunt et obsequii devotionisque testimonium offerunt."

Significavit quoque se, quod eodem conventu propositum fuerat, Concilii nomine salutationes, quae Patrum amorem et venerationem erga Emum. Card. Neo-Eboracensem exprimerent, ad eundem misisse. Verba nuntii haec erant: "The Prelates of the Third Plenary Council by unanimous vote salute Your Eminence, and tender to you the expression of their most profound respect and sincere attachment."

Responsum telegraphicum ab Emo. Cardinali Neo-Eboracensi his conceptum fuit verbis: "His Eminence desires to acknowledge receipt of telegram and expresses his cordial thanks to the assembled Prelates. Though absent in body, he is present in spirit, and ceases not to implore the benediction of Heaven on their labours. C. E. McDonnell, Secr."

II. De Quorundam Admissione ac Voto.

Probarunt Patres relationem Judicum Excusationum ac Querelarum, ex qua constabat Adm. Rev. Anastasium Smith, Commis-

sarium Generalem Carmelitarum Calceatorum in his provinciis degentium non teneri Concilio interesse, cum extra Status Foederatos, id est in Canadae regione resideat.

Lecta Relatione eorundem Judicum, Adm. Rev. E. H. Brandtz, Administratori sedis Covingtonensis, qui ad concilium cum theologo suo venerat, sedem adhuc vacare ratus, concessum fuit ut inter Patres cum voto consultivo, ejusque theologus, Rev. G. Robbers, inter Synodales retineretur.

In prima congregatione Rdmus. Praeses Patribus suggessit, ut deliberarent et sententiam ferrent de jure suffragii definitivi quoad duos Abbates, suarum congregationum Praesides, nempe Rdmos. Wimmer et Mundwiler, et Superiorem Generalem Congregationis S. Crucis., Rdmum. Sorin. Optarunt duo Metropolitae ut Abbates omnes infulati votum haberent decisivum. Quidam dixit morem hactenus fuisse ut voto tantum consultivo fruerentur. Monuerunt alii prius agi oportere de tribus praedictis, deinde de reliquis. Affirmavit unus Rdmum. Sorin utpote Superiorem Generalem Congregationis suae Patri Generali Ordinis aequipollere, ideoque in Conciliis quoque oecumenicis vocem habere definitivam, ut patet ex Concilio Vaticano, ubi hoc privilegio gavisus est Rdmus. Sorin; et hoc aeque verum esse de Congregationum Benedictinarum superioribus. Alter ambiguum se haerere dixit, an Patribus hujus Concilii liceat plenissimum hoc suffragii jus cuilibet extendere, eo quod Pontifex ita egerit in Concilio Vaticano. Consentientibus fere omnibus, quaestio relata fuit ad Judices Excusationum ac Querelarum quorum numero, proponente Brooklyniensi, additi fuere Dibonensis et Scrantonensis.

Recurrente altera die quaestione de voto decisivo tribus praedictis Religiosis concedendo, cum Judices Exc. ac Quer., re investigata et consultis theologis, votum definitivum iis concedendum censuerint, suffragiis sexaginta tribus concessum fuit. Actum deinde fuit de propositione qua extendebatur hoc privilegium ad ceteros Abbates. Re hinc inde disputata, ad suffragia ventum est. Rejecta fuit propositio, ajentibus viginti et quatuor, negantibus quadraginta.

Lecta Relatione eorumdem Judicum Exc. ac Quer. de Rdmo. D. Manucy, qui S. Sede probante, se Episcopatu Mobiliensi abdicaverat, Patribus visum est eum ad Concilium admittere tanquam Ecclesiae Mobiliensis Administratorem, ad quod munus Metropolita Neo-Aurelianensis ipsum interea designaverat.

III. De Novis Materiis.

In congregatione vigesima septima privata "Commissio super Materias Novas" retulit, quae sequuntur:

I. Supplicaturos esse S. Sedi PP. Clericos Missionis et Puellas Charitatis ut S. Vincentius a Paulo declaretur Patronus omnium Piorum Operum orphanis, aegris et egentibus sublevandis; et velle ut suis preces Concilii accedant. II. Supplicaturos item S. Sedi PP. Societatis Jesu ut introducatur causa Beatificationis Servorum Dei Isaaci Jogues et Renati Goupil ejusdem Societatis et Catharinae Tegakwitae, virginis Iroquensis; quorum haec vita moribusque sanctissimis, illi fuso pro Christo sanguine, hanc regionem nobilitarunt; velle eosdem ut cum ipsorum votis Concilii vota conjungantur et *Postulato* subscribant Patres. III. Orandam esse Sanctam Sedem, ut sacerdotibus nostris liceat in posterum Officia recitare SS. Philippi a Jesu, Francisci Solani, et Turribii Limani, qui Novum Orbem praedicatione et miraculis illustrarunt.[1] Quae omnia unanimi consensu Patres probarunt.

IV. De Pio S. Pontificis Opere in Oriente.

In congregatione vigesima octava privata Archiep. Chicaginensis Patribus in mentem revocavit ipsos promisisse stipem colligere pro quodam Opere Pio, quod SS. D. N. Leo XIII. fidei per Orientem propagandae instituere cogitat. Proposuit Bostoniensis ut ad Pontificem scribat Delegatus et ab eo praecisam Pii Operis quaerat indolem, quo fideles ad alacrius dandum excitentur. Spospondit se facturum Delegatus. Patribus placuit collectam inter octodecim menses esse faciendam.

Hac de re in epistola privata ad Delegatum Apostolicum datam die 22ª Octobris A. D. 1885, haec inter alia Sanctitas Sua scripsit:

"Gratissimum Nobis accidit, quod accepimus, te, collata cum ceteris Episcopis sententia, egregium iniisse consilium Catholicam studiorum Universitatem in America, quam primum fieri possit, erigendi. Profecto Episcoporum auspiciis, patrocinio ac vigili cura, magno erit ipsa emolumento tum religioni tum patriae vestrae; et Catholici nominis splendori, litterarum scientiarumque incremento quam maxime inserviet. Equidem Nos non ignoramus ingentes sumptus vobis esse ad rem perficiendam necessarios, ideoque ipsi Nos

[1] Vide Decretum S. R. C., *infra*, p. cii.

abstinuimus urgere te, Venerabilis Frater, ad ea subsidia praestanda, quae superiore anno, cum Romae esses, vehementer rogavimus pro re etiam magni momenti, Propositum intelligimus quod summopere insistimus, in Catholicae Ecclesiae gremium Orientis populos revocandi. Maxime autem, uti Nos arbitramur, ad hunc finem conferre poterit scholarum Catholicarum tum Constantinopoli tum Athenis constitutio.—Quod si alia quae antea diximus, Venerabilis Frater, curas cogitationesque tuas singulari ratione ad se convertunt, cupimus tamen e tua memoria ne excidat alterum hoc de quo agimus, animo reputans, si res felicem exitum sit habitura, id maximum in modum ad Dei gloriam et Ecclesiae Catholicae decus atque incrementum esse cessurum, neque exiguam futuram laudem tuae et Americae gentis liberalitati." Quae Delegatus Episcopis communicavit.

V. De Collegiis Americanis Romae ac Lovanii.

In congregatione vigesima nona privata, lecta fuit a Petrensi relatio Commissionis Episcoporum de Collegio Romano Americano; lecta item relatio Pro-rectoris ejusdem Collegii. Inter praesules, quibus constat Commissio negotiis Collegii procurandis (*Executive Board*), jamdiu vacaverat locus Rdmi. Jacobi Frederici Wood, qui e vivis decessit mense Junio anni MDCCCLXXXIII. Huic suffectus est Rdmus. Patritius J. Ryan, Archiepiscopus Philadelphiensis.

Postulatur a Petrensi ut scribat ipse Commissionis nomine ad haeredes Rdmi. Ludovici E. Hostlot, rectoris nuper defuncti, iisque gratias agat pro eorum liberalitate. Quod libenter se facturum spondet. Commissio significat se omnia rite dispositurum, ut villa Cryptae Ferratae tute ac secure possideatur. Proponitur ut Baltimorensis, cum ipse sit coram lege *persona* seu corpus morale (*Corporation sole*), suo nomine villam possideat. Consulit alius Patrum, ut tres alios Episcopos Commissio sibi adjungat, a quibus modo, ut vocant, Tontino (*on the Tontine plan*) possideatur villa in usum Alumnorum. Quod PP. placuit. Orant Patres Delegatum ut ipsorum nomine gratias agat SS. Dno. Nostro pro canonica erectione Collegii Americani in Collegium Pontificium.[1] Quod muneris libens in se suscepit et datis literis paulo post explevit.

Inter alia hoc super negotio disceptata concors fuit Patrum sententia, hanc "domum altricem, in qua delecti juvenes sacris studiis sacraque disciplina instituendi, ad exercendum deinde in patria sua uberi cum

[1] Literas Apostolicas Erectionis vide in Appendice, p. 193.

fructu sacerdotale ministerium exciperentur." ab omnibus Nostrarum Provinciarum Episcopis tuendam fovendamque esse; in eam mitti deberi alumnos, qui non tantum bona corporis salute sanitateque fruantur, sed quibus praeterea sit et animi robur et ingenii praeclaritas, ita ut peracto studiorum cursu ipsis in patriam reversis majora munera tuto committi possint, quo demum in scientia ecclesiastica optime versati Episcopis majori auxilio futuri essent. Nec praetermittendum, quod plane dignum memoria videtur, scilicet quotquot ex almo illo Urbis collegio sacerdotes alumni in dioecesium nostrarum gremium reducantur, tot anulos fore firmatos, quibus totus Americae Nostrae clerus arctiori amoris et obedientiae nexu Petrae Romanae concatenetur.

Lecta fuit in eadem congregatione Illmi. ac Rdmi. Dni. De Neve relatio de Collegio Americano Lovaniensi. Proposuerunt quidam ut designetur Commissio Praesulum (*Advisory Committee*) qui consiliis suis collegii moderatoribus praesto sint, donec progressu temporis, rebus collegii auctis, amplificatis, firmiusque solidatis, crescat etiam Commissionis auctoritas, et evadat Commissio regendis administrandisque collegii negotiis (*Executive Board*). Designati autem fuerunt Detroitensis, Natchetensis, Peoriensis. Oregonôpolitanus excusari voluit.

VI. De Americana Studiorum Universitate Catholica.

In congregatione trigesima privata lectae sunt literae spectatissimae feminae Dominae Mariae Guendalinae Caldwell, quae ter centum millia scutatorum pro fundanda Catholica studiorum universitate Patribus Concilii disponendam paraverat. Dictis vero literis postulavit, dummodo Patribus placeret, ut inter eos, qui novi Seminarii Principalis, universitatis primordiorum, negotiis gerendis praeessent (*Executive Board*), adnumerentur Revmi. Baltimorensis, Bostoniensis, Philadelphiensis, Milwaukiensis, Petrensis, S. Pauli, Peoriensis, et Adm. Rev. Joannes M. Farley, Cam. Secr. S. S.; et ex laicis Domini Ruben Springer, Eugenius Kelly et Gulielmus Drexel, nummularii Catholici fama opibusque insignes. Probarunt Patres ea conditione, ut Commissio designanda possit alios etiam presbyteros et laicos sibi, si velit, adjungere.

VII. De Anglica Scripturae Sacrae Versione.

In eadem congregatione privata, quidam e Patribus Concilii summopere exoptavit, ut habeatur authentica, quaeque omnium votis respon-

deat, Anglica Scripturae Sacrae versio. Utile fore judicavit, ut ad Episcopos omnium regionum, ubi Anglice loquuntur, hac de re scribatur. Responsum est ei, hoc in Concilio Plenario superiori propositum fuisse, diuque de ejusmodi versione deliberasse Patres, sed nihil effectum fuisse. Noluit alius Episcopus hac de re ulterius deliberandum; cujus sententia non paucis placuit. Rejecta tamen fuit a Patribus, ajentibus viginti et octo, negantibus octo supra triginta. Laudarunt plures versionem Rdmi. Kenrick, Archiepiscopi olim Baltimorensis, praesertim ob annotationes, breves quidem sed doctrina et pietate refertas. Censuerunt denuo imprimendam, forma tamen omnium usui magis accommodata. Notavit Rdmus. S. Ludovici, versionem Rdmi. Kenrick non esse versionem proprie dictam, sed novam potius Duacenae versionis recensionem. Censuit alius Patrum iterum praelo committendam hanc recensionem una cum notis. Quaerentibus quibusdam de imprimendi jure (*copyright*) respondit Rdmus. S. Ludovici, si quid juris supersit, penes se esse, cui tamen libenter renuntiaturus sit.

VIII. De Bonis Ecclesiasticis Regularium Curae Commissis.

In congregatione trigesima prima privata, quae fuit ultima, Patres probarunt sequens decretum:

"Praeterea statuunt hujus Concilii Patres, ut bona ecclesiastica, sive ecclesiae sint sive scholae sive domus parochiales sive alia quaecumque, quae a familiis Religiosis administrantur, sed per fidelium collectas in usum parochiae seu missionis aedificata aut acquisita fuerunt, possideantur eadem forma ac nomine, quo possidentur cetera bona ejusdem generis per Dioecesim, et sub directione Episcopi; non Religiosae familiae nomine, quae bona hujusmodi administrat.

"Omnes charitatis et beneficentiae institutiones dioecesanae, quae collatis fidelium pecuniis erectae fuerunt ac sustentantur, possideantur eodem nomine ac titulo, quo reliqua dioecesis bona sub Episcopi directione, cujus erit attente vigilare ne hujusmodi institutiones a pio fine, sibi a fundatoribus praestituto, quocumque praetextu deflectantur."

Nota.—S. C. de P. F. consultius esse duxit hoc decretum non esse retinendum, cum haec quaestio plenius non fuerit examinata. "Animadvertendum tamen est, Summum Pontificem, licet hanc S. Congregationis resolutionem approbaverit, voluisse, ut in futuro Concilio Plenario praesens quaestio denuo ad trutinam plenius revocaretur." (Epistola Card. Praefecti S. C. de P. F., 17 Oct., 1885.)

LITERAE PATRUM CONCILII AD CLERUM POPULUMQUE.

PASTORAL LETTER

OF THE ARCHBISHOPS AND BISHOPS OF THE UNITED STATES,

ASSEMBLED IN THE

THIRD PLENARY COUNCIL OF BALTIMORE,

TO THE CLERGY AND LAITY OF THEIR CHARGE.

The Archbishops and Bishops of the United States, in Third Plenary Council assembled, to their clergy and faithful people—" Grace unto you and peace from God our Father, and from the Lord Jesus Christ."

VENERABLE BRETHREN OF THE CLERGY,
BELOVED CHILDREN OF THE LAITY:

Full eighteen years have elapsed since our predecessors were assembled in Plenary Council to promote uniformity of discipline, to provide for the exigencies of the day, to devise new means for the maintenance and diffusion of our holy religion, which should be adequate to the great increase of the Catholic population. In the interval, the prelates, clergy and faithful have been taught by a wholesome experience to appreciate the zeal, piety and prudence that

inspired the decrees of those venerable Fathers and to listen with cheerful submission to their authoritative voice, whether uttered in warning, in exhortation or positive enactment. And the whole American Church deeply feels and cordially proclaims her gratitude for the treasure bequeathed to us by their wise and timely legislation. Its framers, in great part, have gone before us with the sign of Faith and now sleep the sleep of peace. But their work, besides following them to the dread tribunal of the great Judge to plead in their behalf and insure their reward, has remained upon earth as a safe guide and a rich blessing for the clergy and people of their generation.

Since that time, however, the body of our clergy and religious has grown to wonderful dimensions, our Catholic institutions have been multiplied tenfold, with a corresponding increase in the number of our faithful laity. The territory likewise, over which they are spread, has been greatly enlarged. The land of the far West, that once was desolate and impassable, through God's providential mercy, now rejoices and flourishes like the lily. Under His guiding hand, it has been taught to bud forth and blossom and rejoice with joy and and praise. The wilderness has exchanged its solitude for the hum of busy life and industry; and the steps of our missionaries and Catholic settlers have invariably either preceded or accompanied the westward progress of civilization. Forests have given away to cities, where Catholic temples re-echo the praises of the Most High, where the priceless perfume of the "Clean Oblation," foretold by Malachi, daily ascends to heaven, and where the life-giving sacraments of Holy Church are dispensed by a devoted clergy. In view of this great progress of our holy religion, this marvellous widening of the tabernacles of Jacob, it has been judged wise and expedient, if not absolutely necessary, to examine anew the legislation of our predecessors, not with any purpose of radical change, much less of abrogation, but to preserve and perfect its spirit by adapting it to our altered circumstances. And as every day gives birth to new errors, and lapse of time or distance of place allows abuses to gradually creep into regular discipline, we have judged it the duty of our pastoral office to check the latter by recalling and enforcing established law, and to guard our flock against the former by timely words of paternal admonition.

Such, too, has been the expressed wish and injunction of our Holy Father Leo XIII., happily reigning, to whom, as Supreme Pontiff and successor of the Prince of the Apostles, by inherent right belongs

the power of convoking this our Third National or Plenary Council, and of appointing (as he has graciously done) an Apostolic Delegate to preside over its deliberations.

One of the most important events that our age has witnessed was the assembling by Pius IX., of happy memory, of the General Council of the Vatican. It was held three years after the close of our Second Plenary Council, and all, or nearly all, of its members, and many besides of the prelates now assembled in this Third Plenary Council, enjoyed the rare privilege of sitting with the other Princes of the Church in the only Ecumenical Synod vouchsafed these latter ages. Its appointed task was to condemn the most influential and insidious errors of the day, and to complete the legislation on weighty matters of discipline that had been contemplated and discussed, but left undecided, by the Council of Trent. Like its predecessor, the Council of the Vatican was interrupted by the disturbed condition of Europe; and the Fathers, leaving the work of their deliberations unfinished, returned to their homes, some to this western continent, others to remote regions of the East. But we would fain cherish the hope, and lift up to heaven our earnest prayer, that the Father of mercies and God of all consolation, who is ever ready to comfort His Church in all her tribulations, who holds in His hand the counsels of princes and the devices of peoples, may deign, in His own good time, to reunite the prelates, or their successors, over the tomb of St. Peter or elsewhere, as may seem best to His infinite wisdom. The Vatican Council however, during its short session of seven months, gave solemn, authoritative utterance to some great truths which the Church had unvaryingly held from the days of Christ and His Apostles; but which she found it once more necessary to recall and inculcate against the widespread skepticism and unbelief of our day. Besides condemning the philosophical errors of the last two centuries, and especially of our own times, she had to uphold (such is the lamentable downward course of those who rebelled against her divine commission to teach all nations!) the truth and divinity of the Sacred Books against the very children of those, who once appealed to Scripture to disprove her teachings, and to maintain the dignity and value of human reason against the lineal descendants of those, who once claimed reason as the supreme and only guide in picking out from her creed what mysteries they would retain, what mysteries they would reject. Nobly did she perform her duty and assert in the face of a

forgetful and unbelieving world that reason is God's highest and best gift to man in the natural order, and that this most salutary endowment is not only not impaired, but strengthened, supplemented and ennobled by the supernatural gift of Divine revelation.

We have no reason to fear that you, beloved brethren, are likely to be carried away by these or other false doctrines condemned by the Vatican Council, such as materialism or the denial of God's power to create, to reveal to mankind His hidden truths, to display by miracles His almighty power in this world, which is the work of His hands. But neither can we close our eyes to the fact that teachers of skepticism and irreligion are at work in our country. They have crept into the leading educational institutions of our non-Catholic fellow-citizens; they have (though rarely) made their appearance in the public press and even in the pulpit. Could we rely fully on the innate good sense of the American people and on that habitual reverence for God and religion which has so far been their just pride and glory, there might seem comparatively little danger of the general diffusion of those wild theories which reject or ignore Revelation, undermine morality, and end not unfrequently by banishing God from His own creation. But when we take into account the daily signs of growing unbelief, and see how its heralds not only seek to mould the youthful mind in our colleges and seats of learning, but are also actively working amongst the masses, we cannot but shudder at the dangers that threaten us in the future. When to this we add the rapid growth of that false civilization which hides its foulness under the name of enlightenment—involving, as it does, the undisguised worship of mammon, the anxious search after every ease, comfort and luxury for man's physical well-being, the all-absorbing desire to promote his material interests, the unconcern or rather contempt for those of his higher and better nature—we cannot but feel that out of all this must grow that heartless materialism, which is the best soil to receive the seeds of unbelief and irreligion, which threaten to desolate the country at no distant day. The first thing to perish will be our liberties. For men, who know not God or religion, can never respect the inalienable rights which man has received from His Creator. The State in such case must become a despotism, whether its power be lodged in the hands of one or of many.

To you, beloved brethren, who possess the treasure of Catholic faith, we may safely address the reiterated injunctions of the Lord to the chosen leader of His people: "Take courage and be strong . .

take courage and be valiant. . . Behold I command thee, take courage and be strong. Fear not and be not dismayed, because the Lord thy God is with thee" (Josue i., 6, 7, 8, 9). The latter clause gives the reason why we should take courage and be strong. An intermediate verse gives the means of securing God's assistance: "Let not the book of this law depart from thy mouth, but thou shalt meditate on it day and night, that thou mayest observe and do the things that are written in it." Keep, then, day and night, before your eyes the Law of God and His teachings through that Holy Church that He has appointed mother and mistress of all men. Fly the reading of all infidel books, and keep them from your children, as you would the poison of asp or basilisk. Teach them that you and they, in listening to Holy Church, have the guidance of Him who said, "I am the way, the truth and the life." Let others doubt or deny, but with the Apostle, you know whom you have believed, and you are certain that He will make good the trust you have reposed in Him (II. Tim. i., 12).

Christ our Lord commissioned His Apostles to teach mankind the truths they had been taught by Him. They received no commandment to write on any doctrine, much less to draw up a body of articles of faith such as our children now learn from the catechism. They preached and taught by word of mouth; or, when occasion offered itself, they wrote as the Divine Spirit prompted them. What they wrote and what they delivered by oral instruction are equally God's Word. And this two-fold Word, written and unwritten, is the Deposit of divine truth, committed to the keeping of the Catholic Church, and chiefly to him on whom the Church was built—the only Apostle who, in the full sense of the words, yet lives and rules in the person of his successors, and who, from his unfailing chair, imparts to all who seek it the truth of Christian faith (see Epist. S. Petri Chrysologi inter Epp. S. Leonis M.). It is his office to confirm his brethren, and the history of the Church exhibits him, from the beginning and through all ages, as faithfully fulfilling the charge entrusted to him by his Master (Luke xxii., 32). From the earliest ages down to our own, the voice of Peter has been foremost in condemning all deviations from apostolic doctrine. No threats of worldly power could subdue or silence that voice. To such threats Peter, through his successors, has ever given the same answer that he gave at Jerusalem to the assembled priests and ancients (Acts iv., 19–20).

No pleading of princes and potentates could ever win Rome's sympathy for error; no heresy under false semblance of Catholic truth ever yet eluded her vigilant eye (Cf. St. Cyprian, Ep. lix.). As soon as any novelty appeared, all hearts and eyes were turned towards the Chair of Peter, and when that Chair gave its decision, Christian people yielded obedience. Those who would not, were cut off from the communion of the Church, and became thenceforth as the heathen and the publican.

This doctrine, therefore, which had so thoroughly wrought itself into the life and action of the Church, the Vatican Council deemed proper to consecrate by a solemn definition. Hence, that no one in future may craftily pretend not to know, how and whence to ascertain what the Church officially teaches; above all, that no one may henceforth scatter the baneful seeds of false doctrine with impunity, under the mask of an appeal from the judgment of the Holy See (whether it be to learned universities, or State tribunals, or future councils, particular or general, as was done by Luther and the Jansenists), the Church of the living God, through the Fathers of the Vatican Council, has unequivocally declared that her authentic spokesman is the successor of St. Peter in the Apostolic See of Rome, and that whatever he, as Head of the Church, defines *ex cathedra* is part of the Deposit of Faith intrusted to her keeping by Christ Our Lord, and hence is subject to neither denial, doubt nor revision, but is to be implicitly received and believed by all.

In this authoritative declaration there is nothing new, nothing to give cause for wonder. It is only setting the solemn seal of definition upon what has always been the belief and practice of the Church. Yet "the gates of Hell," the powers of darkness that forever assail the Church built on Peter—though knowing that they cannot prevail against it nor make void God's promise (Matth. xvi., 18)—seem to have been stirred to the very depths by the proclamation of this great truth. And their impotent rage has found its echo upon earth. The definition evoked a storm of fierce obloquy and reckless vituperation, such as has been seldom witnessed amongst our opponents. And a wretched handful of apostate Catholics "went out from us, but they were not of us" (I. John ii., 19).

But, what was far more serious, the kings of the earth stood up and the princes assembled together against the Lord (Acts iv., 26) and against His anointed Vicar, because of the definition. They

revived the old war-cry raised by the Jews against our Saviour (John xix., 12, 15), and so often renewed by the persecutors of the Church. They pretended that by defining the infallibility of St. Peter's successor, she had made herself the enemy of Cæsar. Herein we see plainly verified the strong language of Scripture: "Iniquity hath lied to itself" (Ps. xxvi., 19). The Pope, even after the proclamation of his infallibility, is no more the enemy of Cæsar and of human governments, than was the infallible Peter the enemy of Nero, or Christ our Lord, who is infallible truth itself, the enemy of Augustus and Tiberius, under whom He was born into the world, taught and suffered. The governments by which, three centuries ago, the new tenets of Luther, Zwingli and Calvin had been imposed on reluctant peoples by the sword, were the first, indeed the only ones, to again unsheathe it against Catholic believers, and especially against bishops and clergy. It was their purpose to exterminate by degrees the Catholic hierarchy, and replace it by a servile priesthood that would subordinate its ministry and teaching to the will of the State. To do this they had to trample on solemn treaties and organic laws. But the Catholics of Prussia, clergy and people, while proving themselves most devoted and faithful to their country's laws, stood up like a wall of adamant against the tyranny of its rulers. With generous vigor and admirable constancy, they availed themselves of every legal and constitutional means to check the advances of despotism, and save their own freedom and that of their country. They have given to the world a glorious example, which it is to be hoped the victims of tyrannous Liberalism in Catholic countries may some day have the wisdom or the courage to imitate. The struggle has now lasted fourteen years; but the very friends of this persecuting legislation have been driven at last to acknowledge that it has proved to be a miserable failure; and no better proof of it could be found than the fact that the rulers of Prussia have had to fall back on the patriotism of the Catholic body to stay the threatening march of socialism and revolution. In Switzerland, too, the persecution has yielded to the policy of mildness and conciliation adopted by Our Holy Father, Leo XIII.

Beloved brethren, we have no need to encourage you to hold steadfastly to this doctrine of the Vatican Council; for you were trained from infancy to believe it, as were your fathers before you, while it was not yet invested with the formalities of a definition, just

as the early Christians held firmly to the divinity of the Son and of the Holy Ghost three hundred years before the Church found it necessary to define them in the Councils of Nice and Byzantium.

And in our own country, writers and speakers who know the Church only by the caricatures drawn by prejudice, have occasionally re-echoed the same charge; but despite local and temporary excitements, the good sense of the American people has always prevailed against the calumny. We think we can claim to be acquainted both with the laws, institutions and spirit of the Catholic Church, and with the laws, institutions and spirit of our country; and we emphatically declare that there is no antagonism between them. A Catholic finds himself at home in the United States; for the influence of his Church has constantly been exercised in behalf of individual rights and popular liberties. And the right-minded American nowhere finds himself more at home than in the Catholic Church, for nowhere else can he breathe more freely that atmosphere of Divine truth, which alone can make him free (John viii., 32).

We repudiate with equal earnestness the assertion that we need to lay aside any of our devotedness to our Church to be true Americans, and the insinuation that we need to abate any of our love for our country's principles and institutions, to be faithful Catholics. To argue that the Catholic Church is hostile to our great Republic, because she teaches that "there is no power but from God" (Rom. xiii., 1); because, therefore, back of the events which led to the formation of the Republic, she sees the Providence of God leading to that issue, and back of our country's laws the authority of God as their sanction,—this is evidently so illogical and contradictory an accusation, that we are astonished to hear it advanced by persons of ordinary intelligence. We believe that our country's heroes were the instruments of the God of Nations in establishing this home of freedom; to both the Almighty and to His instruments in the work we look with grateful reverence; and to maintain the inheritance of freedom which they have left us, should it ever—which God forbid—be imperilled, our Catholic citizens will be found to stand forward as one man, ready to pledge anew "their lives, their fortunes and their sacred honor."

No less illogical would be the notion, that there is aught in the free spirit of our American institutions, incompatible with perfect docility to the Church of Christ. The spirit of American freedom is

not one of anarchy or of license. It essentially involves love of order, respect for rightful authority, and obedience to just laws. There is nothing in the character of the most liberty-loving American, which could hinder his reverential submission to the Divine authority of Our Lord, or to the like authority delegated by Him to His Apostles and His Church. Nor are there in the world more devoted adherants of the Catholic Church, the See of Peter, and the Vicar of Christ, than the Catholics of the United States. Narrow, insular, national views and jealousies concerning ecclesiastical authority and Church organization, may have sprung naturally enough from the selfish policy of certain rulers and nations in by-gone times; but they find no sympathy in the spirit of the true American Catholic. His natural instincts, no less than his religious training, would forbid him to submit in matters of faith to the dictation of the State or to any merely human authority whatsoever. He accepts the religion and the Church that are from God, and he knows well that these are universal, not national or local,—destined for all the children of men and not for any special tribe or tongue. We glory that we are, and, with God's blessing, shall continue to be, not the American Church, nor the Church of the United States, nor a Church in any other sense exclusive or limited, but an integral part of the one, holy, Catholic and Apostolic Church of Jesus Christ, which is the Body of Christ, in which there is no distinction of classes and nationalities,—in which all are one in Jesus Christ (Gal. iii., 28).

While the assaults of calumny and persecution directed against the Church since the Vatican Council have abundantly shown how angry the powers of evil have been at the Council's luminous utterances of Divine truth, our Holy Father the Pope has been, naturally enough, the main object of attack. And Divine Providence has been pleased to leave him for a while at the mercy of his enemies, in order that their impious violence might work out the demonstration of its own injustice; that the true character and the indestructibility of the office of St. Peter might be made manifest to the world; that the wisdom of the Providence which has guarded the independence of that office in the past, might be vindicated and reaffirmed for the future. The great and beloved Pius IX. died the "Prisoner of the Vatican," and Leo XIII. has inherited his Apostolic trials, together with his Apostolic office. Day after day he has seen the consecrated patrimony of religion and charity swept into Cæsar's coffers by the ruthless hand

of spoliation and confiscation. At this moment, he sees that same grasp laid upon the property of the Propaganda, piously set apart for spreading the Gospel of Jesus Christ throughout the missionary countries of the world. So utterly unjustifiable an act has called forth a cry of indignant protest from the Catholics of all countries, and from no country has the cry gone forth clearer and louder than from our own. We thank our government for the action that saved the American College from confiscation; and we hope that the protest and appeal of all governments and peoples that "love justice and hate iniquity" may yet shame the spoiler into honesty. Meanwhile the hearts of all Catholics go out all the more lovingly towards their persecuted Chief Pastor; and from their worldly means, be they abundant or scanty, they gladly supply him with the means necessary for carrying on the administration of his high office. Such has been your liberality in the past, beloved brethren, that we hardly need exhort you to generosity in the collection for the Holy Father, which will continue to be made annually throughout all the dioceses of the country. Let your devoted affection be shown by your deeds, and the persistency of injustice be more than matched by the constancy of your faithful and generous love.

While enduring with the heroism of a martyr the trials which beset him, and trustfully awaiting the Almighty's day of deliverance, the energy and wisdom of Leo XIII. are felt to the ends of the earth. He is carrying on with the governments of Europe the negotiations which promise soon to bring peace to the Church. In the East he is preparing the way for the return to Catholic unity of the millions whom the Greek schism has so long deprived of communion with the See of Peter, and he is following the progress of exploration in lands hitherto unknown or inaccessible with corresponding advances of Catholic missions. To the whole world his voice has gone forth again and again in counsels of eloquent wisdom, pointing out the path of truth in the important domain of philosophy and history;—the best means of improving human life in all its phases, individual, domestic and social;—the ways in which the children of God should walk—"that all flesh may see the salvation of God."

But in all the wide circle of his great responsibility, the progress of the Church in these United States forms, in a special manner, both a source of joy and an object of solicitude to the Holy Father. With loving care his predecessors watched and encouraged her first

feeble beginnings. They cheered and fostered her development in the pure atmosphere of freedom, when the name of Carroll shone with equal lustre at the head of her new-born Hierarchy, and on the roll of our country's patriots. Step by step they directed her progress, as with marvellous rapidity the clergy and the dioceses have multiplied; the hundreds of the faithful have increased to thousands and to millions; her churches, schools, asylums, hospitals, academies and colleges, have covered the land with homes of divine truth and Christian charity. Not yet a century has elasped since the work was inaugurated by the appointment of the first Bishop of Baltimore, in 1789; and as we gaze upon the results already reached we must exclaim: "By the Lord hath this been done, and it is wonderful in our eyes" (Matth. xxi., 42; Ps. cxvii., 22).

In all this astonishing development, from the rude beginnings of pioneer missionary toil, along the nearer and nearer approaches to the beauteous symmetry of the Church's perfect organization, the advance so gradual yet so rapid has been safely guided in the lines of Catholic and Apostolic tradition, by the combined efforts and wisdom of our local Hierarchy and of the successors of St. Peter. It was in order to take counsel with the representatives of the American Hierarchy concerning the important interests of religion in this country, that the Holy Father, last year, invited the Archbishops of the United States to Rome. And the object of the present Council is to put into practical shape the means of religious improvement then resolved upon or suggested.

Education of the Clergy.

One of our first cares has been to provide for the more perfect education of aspirants to the holy priesthood. It has always been the Church's endeavor that her clergy should be eminent in learning. For she has always considered that nothing less than this is required by their sacred office of guarding and dispensing Divine truth. "The lips of the priest shall keep knowledge," says the Most High, "and the people shall seek the law at his mouth" (Malch. ii., 7). This is true in all times; for no advance in secular knowledge, no diffusion of popular education, can do away with the office of the teaching ministry, which Our Lord has declared shall last forever. In every age it is and shall be the duty of God's priests to proclaim the salutary truths which our Heavenly Father has given to the world through

His Divine Son; to present them to each generation in the way that will move their minds and hearts to embrace and love them; to defend them, when necessary, against every attack of error. From this it is obvious that the priest should have a wide acquaintance with every department of learning that has a bearing on religious truth. Hence in our age, when so many misleading theories are put forth on every side, when every department of natural truth and fact is actively explored for objections against revealed religion, it is evident how extensive and thorough should be the knowledge of the minister of the Divine Word, that he may be able to show forth worthily the beauty, the superiority, the necessity of the Christian religion, and to prove that there is nothing in all that God has made to contradict anything that God has taught.

Hence the priest who has the noble ambition of attaining to the high level of his holy office, may well consider himself a student all his life; and of the leisure hours which he can find amid the duties of his ministry, he will have very few that he can spare for miscellaneous reading, and none at all to waste. And hence, too, the evident duty devolving on us, to see that the course of education in our ecclesiastical colleges and seminaries be as perfect as it can be made. During the century of extraordinary growth now closing, the care of the Church in this country has been to send forth as rapidly as possible holy, zealous, hard-working priests, to supply the needs of the multitudes calling for the ministrations of religion. She has not on that account neglected to prepare them for their divine work by a suitable education, as her numerous and admirable seminaries testify; but the course of study was often more rapid and restricted than she desired. At present our improved circumstances make it practicable both to lengthen and widen the course, and for this the Council has duly provided.

We are confident, beloved brethren, that you feel as deeply interested as ourselves in the accomplishment of these great results. This you have hitherto manifested by the zealous liberality by which you have enabled us to build and support our seminaries; and we are well assured that you will not be found wanting, should even greater efforts be necessary, to enable us to make the education and usefulness of the clergy as perfect as we desire. In the future, as in the past, look upon your annual contribution to the Seminary fund as one of your most important duties as Catholics, and let your generosity be

proportioned to the dignity and sacredness of the object for which you offer it.

And here we remind those among our Catholic people to whom God has been pleased to give wealth, that it is their duty and their privilege to consider themselves the Lord's stewards, in the use of what His Providence has placed in their hands; that they should be foremost in helping on the work of the Church of Christ during life, and make sure to have God among their heirs when they die; and we recommend to them as specially useful the founding of scholarships, either in their diocesan or provincial Seminaries, or in our American College in Rome, or elsewhere, as circumstances may suggest.

Pastoral Rights.

No small portion of our attention has been bestowed on the framing of such legislation as will best secure the rights and interests of your pastors, and of all ranks of the clergy in this country. It is but natural, beloved brethren, that the first and dearest object of our solicitude should be our venerable clergy. They are our dearest brethren, bound to us by ties more sacred than those of flesh and blood. Our elevation to a higher office only draws them to us more closely, since their happiness and welfare are thereby made the first object of our responsibility, and since upon their devoted labors must mainly depend the welfare of the souls entrusted to our charge. We need not tell you, beloved brethren, how admirably they fulfil their sacred trust. You are witnesses to their lives of toil and sacrifice. And to them we can truly say in the words of St. Paul, "You are our glory and our joy" (I. Thes. ii., 20).

The rights of the clergy have reference chiefly to their exercising the sacred ministry in their missions, to the fixity of their tenure of office and to the inviolableness of their pastoral authority within proper limits. It is the spirit of the Church that the various grades of authority in her organization should in no wise be in rivalry or conflict, but orderly and harmonious. This she has secured by her wise laws, based upon the experience of centuries, and representing the perfection of Church organization. It is obvious that in countries like our own, where from rudimentary beginnings our organization is only gradually advancing towards perfection, the full application of these laws is impracticable; but in proportion as they become

practicable, it is our desire, not less than that of the Holy See, that they should go into effect. For we have the fullest confidence in the wisdom with which the Church devised these laws, and we heartily rejoice at every approach towards perfect organization in the portion of the vineyard over which we have jurisdiction. This has been to some degree accomplished by regulations enacted during recent years, and still more by the decrees of the present Council.

But while it is our desire to do all on our part that both justice and affection can prompt, for fully securing all proper rights and privileges to our priests, let us remind you, beloved brethren, that on your conduct must their happiness chiefly depend. A grateful and pious flock is sure to make a happy pastor. But if the people do not respond to their pastor's zeal, if they are cold and ungrateful and disedifying, then indeed is his lot sad and pitiable. Since, therefore, the Priests of God leave all things to devote themselves to your spiritual welfare, show by your affection, by your co-operation with their efforts for your spiritual improvement, and even by your care for their physical comfort, that you appreciate their devotedness and the reciprocal obligation which it imposes. Look upon your priests as your best friends, your trustiest advisers, your surest guides. If duty sometimes calls upon them to admonish or rebuke you, remember that the reproof is meant for your good, and take it in the spirit in which it is given. And if perchance they have to speak to you oftener than is pleasant about church finances and the demands of charity, understand that it must be at least as disagreeable to them as it is to you; that it is not for themselves, but for the needs of the parish church or school, which are intended for your benefit, or of the parish poor, who are your charge, that they have to plead; and that, while they are to bear in mind the advisability of speaking of money as seldom as possible, you must be mindful to make your generosity equal to the need, and thereby save both your pastors and yourselves the painful necessity of frequent appeals.

And here we deem it proper to say a few words concerning church properties and church debts. The manner of holding the legal title to these properties is different in different places, according to the requirements of local civil laws; but whether the title be held by the bishop, or by boards of diocesan or parish trustees, it always remains true that the properties are held in trust for the Church for the benefit of the people. One generation buys or builds, another

generation improves and adorns, and each generation uses and transmits for the use of others yet to come;—bishops and priests having the burden of the administration and being sacredly responsible for its faithful performance.

In the discharge of this duty it often becomes necessary to contract church debts. Where the multiplication of the Catholic population has been so rapid, rapid work had to be done in erecting churches and schools. And if, under such circumstances, pastors had to wait till all the means were collected before beginning the work, a generation would be left without necessary spiritual aids, and might be lost to the Church and to God. We fully recognize, beloved brethren, how strictly we are bound to prevent the contracting of debts without real necessity; and this we have endeavored to effect by careful legislation. Still, despite all our efforts, it must inevitably happen that the burden imposed on us by our gigantic task of providing for the spiritual wants of the present and the rising generation will always be heavy, and will weigh upon us all. But the special Providence of God towards our country, which has made the work and the need so great, has never failed hitherto to inspire our people with a zeal equal to the demand. You have rivalled your pastors in the ardor of their desire for the building up of the Church of Christ and the extension of His Kingdom; and we are confident that you will preserve your zeal unto the end, and transmit it undiminished to your children. It is our earnest wish that existing debts should be liquidated as soon as possible, in order that the money now spent in paying interest may be employed in the great improvements still to be made, and especially in helping on the glorious work of Christian education.

Christian Education.

Scarcely, if at all, secondary to the Church's desire for the education of the clergy, is her solicitude for the education of the laity. It is not for themselves, but for the people, that the Church wishes her clergy to be learned, as it is not for themselves only, but for the people that they are priests. Popular education has always been a chief object of the Church's care; in fact, it is not too much to say that the history of the Church's work is the history of civilization and education. In the rude ages, when semi-barbarous chief-

tains boasted of their illiteracy, she succeeded in diffusing that love of learning which covered Europe with schools and universities; and thus from the barbarous tribes of the early middle ages, she built up the civilized nations of modern times. Even subsequent to the religious dissensions of the sixteenth century, whatever progress has been made in education is mainly due to the impetus which she had previously given. In our own country, notwithstanding the many difficulties attendant on first beginnings and unexampled growth, we already find her schools, academies and colleges everywhere, built and sustained by voluntary contributions, even at the cost of great sacrifices, and comparing favorably with the best educational institutions in the land, for completeness of equipment and thoroughness of training.

These facts abundantly attest the Church's desire for popular instruction. The beauty of truth, the refining and elevating influences of knowledge, are meant for all, and she wishes them to be brought within the reach of all. Knowledge enlarges our capacity both for self-improvement and for promoting the welfare of our fellow-men; and in so noble a work the Church wishes every hand to be busy. Knowledge, too, is the best weapon against pernicious errors. It is only "a little learning" that is "a dangerous thing." In days like ours, when error is so pretentious and aggressive, every one needs to be as completely armed as possible with sound knowledge,—not only the clergy, but also the people that they may be able to withstand the noxious influences of popularized irreligion. In the great coming combat between truth and error, between Faith and Agnosticism, an important part of the fray must be borne by the laity, and woe to them if they are not well prepared. And if, in the olden days of vassalage and serfdom, the Church honored every individual, no matter how humble his position, and labored to give him the enlightenment that would qualify him for higher responsibilities, much more now, in the era of popular rights and liberties, when every individual is an active and influential factor in the body politic, does she desire that all should be fittted by suitable training for an intelligent and conscientious discharge of the important duties that may devolve upon them.

Few, if any, will deny that a sound civilization must depend upon sound popular education. But education, in order to be sound and to produce beneficial results, must develop what is best in man, and

make him not only clever but good. A one-sided education will develop a one-sided life; and such a life will surely topple over, and so will every social system that is built up of such lives. True civilization requires that not only the physical and intellectual, but also the moral and religious, well-being of the people should be improved, and at least with equal care. Take away religion from a people, and morality will soon follow; morality gone, even their physical condition will ere long degenerate into the corruption which breeds decrepitude, while their intellectual attainments would only serve as a light to guide them to deeper depths of vice and ruin. This has been so often demonstrated in the history of the past, and is, in fact, so self-evident, that one is amazed to find any difference of opinion about it. A civilization without religion, would be a civilization of "the struggle for existence, and the survival of the fittest," in which cunning and strength would become the substitutes for principle, virtue, conscience and duty. As a matter of fact, there never has been a civilization worthy of the name without religion; and from the facts of history the laws of human nature can easily be inferred.

Hence education, in order to foster civilization, must foster religion. Now the three great educational agencies are the home, the Church, and the school. These mould men and shape society. Therefore each of them, to do its part well, must foster religion. But many, unfortunately, while avowing that religion should be the light and the atmosphere of the home and of the Church, are content to see it excluded from the school, and even advocate as the best school system that which necessarily excludes religion. Few surely will deny that childhood and youth are the periods of life when the character ought especially to be subjected to religious influences. Nor can we ignore the palpable fact that the school is an important factor in the forming of childhood and youth,—so important that its influence when not harmonizing with the influences of home and Church, is often found to outweigh and neutralize them both. It cannot, therefore, be desirable or advantageous that religion should be excluded from the school. On the contrary, it ought to be there one of the chief agencies for moulding the young life to all that is true and virtuous, and holy. To shut religion out of the school, and keep it for home and the Church, is, logically, to train up a generation that will consider religion good for home and the Church, but not for the practical business of real life. But a more false and pernicious notion could

not be imagined. Religion, in order to elevate a people, should inspire their whole life and rule their relations with one another. A life is not dwarfed, but ennobled by being lived in the presence of God. Therefore the school, which principally gives the knowledge fitting for practical life, ought to be pre-eminently under the holy influence of religion. From the shelter of home and school, the youth must soon go out into the busy ways of trade or traffic or professional practice. In all these, the principles of religion should animate and direct him. But he cannot expect to learn these principles in the work-shop, or office or the counting-room. Therefore let him be well and thoroughly imbued with them by the joint influences of home and school, before he is launched out on the dangerous sea of life.

All denominations of Christians are now awakening to this great truth which the Catholic Church has never ceased to maintain. Reason and experience are forcing them to recognize that the only practical way to secure a Christian people, is to give the youth a Christian education. The avowed enemies of Christianity in some European countries are banishing religion from the schools, in order to eliminate it gradually from among the people. In this they are logical, and we may well profit by the lesson. Hence the cry for Christian education is going up from all religious bodies throughout the land. And this is no narrowness nor "sectarianism" on their part; it is an honest and logical endeavor to preserve Christian truth and morality among the people by fostering religion in the young. Nor is it any antagonism to the State; on the contrary, it is an honest endeavor to give to the State better citizens, by making them better Christians. The friends of Christian education do not condemn the State for not imparting religious instruction in the public schools as they are now organized; because they well know it does not lie within the province of the State to teach religion. They simply follow their conscience by sending their children to denominational schools, where religion can have its rightful place and influence.

Two objects therefore, dear brethren, we have in view viz., to multiply our schools, and to perfect them. We must multiply them, till every Catholic child in the land shall have the means of education within its reach. There is still much to be done ere this is attained. There are still hundreds of Catholic children in the United States deprived of the benefit of a Catholic school. Pastors and parents should not

rest till this defect be remedied. No parish is complete till it has schools adequate to the needs of its children, and the pastor and people of such a parish should feel that they have not accomplished their entire duty until the want is supplied.

But then, we must also perfect our schools. We repudiate the idea that the Catholic school need be in any respect inferior to any other school whatsoever. And if hitherto, in some places, our people have acted on the principle that it is better to have an imperfect Catholic school than to have none at all, let them now push their praiseworthy ambition still further, and not relax their efforts till their schools be elevated to the highest educational excellence. And we implore parents not to hasten to take their children from school, but to give them all the time and all the advantages that they have the capacity to profit by, so that, in after life, their children may "rise up and call them blessed."

The Christian Home.

We need hardly remind you, beloved brethren, that while home life would not, as a rule, be sufficient to supply the absence of good or counteract the evil of dangerous influences in the school, it is equally true, that all that the Christian school could accomplish would be inadequate without the co-operation of the Christian home. Christian schools sow the seed, but Christian homes must first prepare the soil, and afterwards foster the seed and bring it to maturity.

1. *Christian Marriage.*—The basis of the Christian home is Christian marriage; that is, marriage entered into according to religion, and cemented by God's blessing. So great is the importance of marriage to the temporal and eternal welfare of mankind, that, as it had God for its Founder in the Old Law, so, in the New Law, it was raised by Our Divine Lord to the dignity of a sacrament of the Christian religion. Natural likings and instincts have their own value and weight; but they ought not by themselves to be a decisive motive in so important a step as Christian marriage; nor are they a safe guarantee for the proper fulfilment of the high ends for which marriage was ordained. That Christian hearts and lives may be wisely and rightly joined, God must join them, and religion sanctify the union; and though the Church sometimes permits the contraction of mixed marriages, she never does so without regret and without a

feeling of anxiety for the future happiness of that union and for the eternal salvation of its offspring.

2. *The Indissolubility of Marriage.*—The security of the Christian home is in the indissolubility of the marriage tie. Christian marriage, once consummated, can never be dissolved save by death. Let it be well understood that even adultery, though it may justify "separation from bed and board," cannot loose the marriage tie, so that either of the parties may marry again during the life of the other. Nor has "legal divorce" the slightest power, before God, to loose the bond of marriage and to make a subsequent marriage valid. "What God hath joined together, let not man put asunder" (Matth. xix., 6). In common with all Christian believers and friends of civilization, we deplore the havoc wrought by the divorce-laws of our country. These laws are fast loosening the foundations of society. Let Catholics at least remember that such divorces are powerless in conscience. Let them enter into marriage only through worthy and holy motives, and with the blessings of religion, especially with the blessing of the Nuptial Mass. And then, far from wishing for means of escape from their union, they will regret that it can be dissolved even by death.

3. *Home Virtues.*—The pervading atmosphere of the Christian home should be Christian charity—the love of God and of the neighbor. It should be the ambition and study of Christian parents to make their home a sanctuary, in which no harsh nor angry, no indelicate nor profane word, should be uttered,—in which truth, unselfishness, self-control, should be carefully cultivated, in which the thought of God, the desire to please God, should be sweetly and naturally held before the children as their habitual motives. From the home sanctuary, the incense of prayer should ascend as a most sweet morning and evening sacrifice to the Lord. How beautiful and rich in blessings is the assembling of parents and children for morning and evening prayer! Our hearts are filled with consolation when, in the course of our pastoral visits, we meet families in which this holy practice is faithfully observed. In such families, we are sure to find proofs of the special benedictions of heaven. Faith, religion and virtue are there fostered to luxuriant growth, and final perseverance almost assured. We earnestly exhort all parents to this salutary custom. And if it be not always feasible in the morning, at least every evening, at a fixed hour, let the entire family be

assembled for night prayers, followed by a short reading from the Holy Scriptures, the Following of Christ, or some other pious book.

4. *Good Reading.*—Let the adornments of home be chaste and holy pictures, and, still more, sound, interesting and profitable books. No indelicate representation should ever be tolerated in a Christian home. Artistic merit in the work is no excuse for the danger thus presented. No child ought to be subjected to temptation by its own parents and in its own home. But let the walls be beautified with what will keep the inmates in mind of our Divine Lord, and of His saints, and with such other pictures of the great and the good as will be incentives to civic and religious virtue.

The same remark applies equally to books and periodicals. Not only should the immoral, the vulgar, the sensational novel, the indecently illustrated newspaper, and publications tending to weaken faith in the religion and the Church of Jesus Christ, be absolutely excluded from every Christian home, but the dangerously exciting and morbidly emotional, whatever, in a word, is calculated to impair or lower the tone of faith or morals in the youthful mind and heart, should be carefully banished. Parents would be sure to warn and withhold their children from anything that would poison or sicken their bodies; let them be at least as watchful against whatever could poison their souls. Let the family book-shelves be well supplied with what is both pleasant and wholesome. Happily, the store of Catholic literature, as well as works which, though not written by Catholics nor treating of religion, are pure, instructive and elevating, is now so large that there can be no excuse for running risk or wasting one's time with what is inferior, tainted or suspicious. Remember, Christian parents, that the development of the youthful character is intimately connected with the development of the taste for reading. Of books as well as of associations may be held the wise saying: "Show me your company and I will tell you what you are." See, then, that none but good books and newspapers, as well as none but good companions, be admitted to your homes. Train your children to a love of history and biography. Inspire them with the ambition to become so well acquainted with the history and doctrines of the Church as to be able to give an intelligent answer to every honest inquirer. Should their surroundings call for it, encourage them, as they grow older, to acquire such knowledge of popularly mooted questions of a scientific or philosophical character as will suffice to

make them firm in their faith and proof against sophistry. We should be glad to see thoroughly solid and popular works on these important subjects from able Catholic writers, become more numerous. Teach your children to take a special interest in the history of our own country. We consider the establishment of our country's independence, the shaping of its liberties and laws, as a work of special Providence, its framers "building better than they knew," the Almighty's hand guiding them. And if ever the glorious fabric be subverted or impaired, it will be by men forgetful of the sacrifices of the heroes that reared it, of the virtues that cemented it and of the rights on which it rests; or ready to sacrifice principle and virtue to the interests of party or self. As we desire therefore that the history of the United States should be carefully taught in all our Catholic schools, and have directed that it be specially dwelt upon in the education of ecclesiastical students in our preparatory seminaries; so also we desire that it form a favorite part of the home library and home reading. We must keep firm and solid the liberties of our country, by keeping fresh the noble memories of the past, and by sending forth continually from our Catholic homes into the arena of public life recruits of patriots and not of partisans.

5. *The Holy Scriptures.*—It can hardly be necessary for us to remind you, beloved brethren, that the most highly valued treasure of every family library, and the most frequently and lovingly made use of, should be the Holy Scriptures. Doubtless in the fourth book of the "Imitation" you have often read A'Kempis's burning thanksgiving to our Lord for having bestowed on us, not only the adorable gift of His Body in the Holy Eucharist, but also for having given us the priceless treasure of the Holy Scriptures, "the Holy Books, for the comfort and direction of our life." And you have before your eyes, prefixed to the Douay version of the Holy Bible, the exhortation of Pope Pius the Sixth in his letter to the Archbishop of Florence, that "the faithful should be moved to the reading of the Holy Scriptures; for these," he says, "are most abundant sources which ought to be left open for every one to draw from them purity of morals and of doctrine, to eradicate the errors which are so widely disseminated in these corrupt times." And St. Paul declares that "what things soever were written, were written for our learning; that through patience and the comfort of the Scriptures we might have hope" (Rom. xv., 4). We hope that no family can be found

amongst us without a correct version of the Holy Scriptures. Among other versions, we recommend the Douay, which is venerable as used by our forefathers for three centuries, which comes down to us sanctioned by innumerable authorizations, and which was suitably annotated by the learned Bishop Challoner, by Canon Haydock, and especially by the late Archbishop Kenrick.

But in your reading remember the admonition of A'Kempis: "The Holy Scriptures must be read in the same spirit in which they were written:—if thou wilt derive profit, read with humility, simplicity and faith" (Bk. I., ch. v.). And keep ever before your mind the principle laid down by St. Peter in the first chapter of his second Epistle: "Understanding this first, that no prophecy of Scripture is made by private interpretation, for prophecy came not by the will of man at any time, but the holy men of God spoke, inspired by the Holy Ghost." And this other given by St. John, in the fourth chapter of his first Epistle, in the name of the Apostolic teaching Church: "Dearly beloved, believe not every spirit, but try the spirits if they be of God. . . We are of God; he that knoweth God, heareth us; he that is not of God heareth us not; by this we know the spirit of truth and the spirit of error." In these two divinely inspired rules you have always a sure safeguard against the danger of error.

6. *The Catholic Press.*—Finally, Christian parents, let us beg your earnest consideration of this important truth, that upon you, singly and individually, must practically depend the solution of the question, whether or not the Catholic press is to accomplish the great work which Providence and the Church expect of it at this time. So frequently and so forcibly has the providential mission of the press been dwelt upon by Popes and prelates and distinguished Catholic writers, and so assiduously have their utterances been quoted and requoted everywhere, that no one certainly stands in need of arguments to be convinced of this truth. But all this will be only words in the air, unless it can be brought home to each parent and made practical in each household. If the head of each Catholic family will recognize it as his privilege and his duty to contribute towards supporting the Catholic press, by subscribing for one or more Catholic periodicals, and keeping himself well acquainted with the information they impart, then the Catholic press will be sure to attain to its rightful development and to accomplish its destined mission. But choose a journal that is thoroughly Catholic, instructive and

edifying; not one that would be, while Catholic in name and pretense, uncatholic in tone and spirit, disrespectful to constituted authority, or biting and uncharitable to Catholic brethren.

Beloved brethren, a great social revolution is sweeping over the world. Its purpose, hidden or avowed, is to dethrone Christ and religion. The ripples of the movement have been observed in our country; God grant that its tidal wave may not break over us. Upon you, Christian parents, it mainly depends whether it shall or not; for, such as our homes are, such shall our people be. We beseech you, therefore, to ponder carefully all that we have said concerning the various constituents of a true Christian home, and, to the utmost of your ability, to carry them into effect. And we entreat all pastors of souls to bear unceasingly in mind, that upon the Christian school and the Christian homes in their parishes must mainly depend the fruit of their priestly labors. Let them concentrate their efforts on these two points,—to make the schools and the homes what they ought to be; then indeed will they carry to the Lord of the harvest full and ripe sheaves, and future generations will bless them for having transmitted unimpaired the priceless gifts of faith and religion.

The Lord's Day.

There are many sad facts in the experience of nations, which we may well store up as lessons of practical wisdom. Not the least important of these is the fact that one of the surest marks and measures of the decay of religion in a people, is their non-observance of the Lord's Day. In traveling through some European countries, a Christian's heart is pained by the almost unabated rush of toil and traffic on Sunday. First, grasping avarice thought it could not afford to spare the day to God; then unwise governments, yielding to the pressure of mammon, relaxed the laws which for many centuries had guarded the day's sacredness,—forgetting that there are certain fundamental principles, which ought not to be sacrificed to popular caprice or greed. And when, as usually happens, neglect of religion had passed, by lapse of time, into hostility to religion, this growing neglect of the Lord's Day was easily made use of as a means to bring religion itself into contempt. The Church mourned, protested, struggled, but was almost powerless to resist the combined forces of popular avarice and Cæsar's influence, arrayed on the side

of irreligion. The result is the lamentable desecration which all Christians must deplore.

And the consequences of this desecration are as manifest as the desecration itself. The Lord's Day is the poor man's day of rest; it has been taken from him,—and the laboring classes are a seething volcano of social discontent. The Lord's Day is the home day, drawing closer the sweet domestic ties, by giving the toiler a day with wife and children; but it has been turned into a day of labor,—and home ties are fast losing their sweetness and their hold. The Lord's Day is the church-day, strengthening and consecrating the bond of brotherhood among all men, by their kneeling together around the altars of the one Father in heaven; but men are drawn away from this blessed communion of Saints,—and as a natural consequence they are lured into the counterfeit communion of Socialism, and other wild and destructive systems. The Lord's Day is God's day, rendering ever nearer and more intimate the union between the creature and his Creator, and thus ennobling human life in all its relations; and where this bond is weakened, an effort is made to cut man loose from God entirely, and to leave him, according to the expression of St. Paul, "without God in this world" (Ephes. ii., 12). The profanation of the Lord's Day, whatever be its pretext, is a defrauding both of God and His creatures, and retribution is not slow.

In this country, there are tendencies and influences at work to bring about a similar result; and it behooves all who love God and care for society, to see that they be checked. As usual, greed for gain lies at the bottom of the movement. Even when the pretence put forward is popular convenience or popular amusement, the clamor for larger liberty does not come so much from those who desire the convenience or the amusement, as from those who hope to enrich themselves by supplying it. Now far be it from us to advocate such Sunday-laws as would hinder necessary work, or prohibit such popular enjoyments as are consistent with the sacredness of the day. It is well known, however, that the tendency is to rush far beyond the bounds of necessity and propriety, and to allege these reasons only as an excuse for virtually ignoring the sacredness of the day altogether. But no community can afford to have either gain or amusement at such a cost. To turn the Lord's Day into a day of toil, is a blighting curse to a country; to turn it into a day of

dissipation would be worse. We earnestly appeal, therefore, to all Catholics without distinction, not only to take no part in any movement tending toward a relaxation of the observance of Sunday, but to use their influence and power as citizens to resist in the opposite direction.

There is one way of profaning the Lord's Day which is so prolific of evil results, that we consider it our duty to utter against it a special condemnation. This is the practice of selling beer or other liquors on Sunday, or of frequenting places where they are sold. This practice tends more than any other to turn the Day of the Lord into a day of dissipation, to use it as an occasion for breeding intemperance. While we hope that Sunday-laws on this point will not be relaxed, but even more rigidly enforced, we implore all Catholics, for the love of God and of country, never to take part in such Sunday traffic, nor to patronize nor countenance it. And we not only direct the attention of all pastors to the repression of this abuse, but we also call upon them to induce all of their flocks that may be engaged in the sale of liquors to abandon as soon as they can the dangerous traffic, and to embrace a more becoming way of making a living.

And here it behooves us to remind our workingmen, the bone and sinew of the people and the specially beloved children of the Church, that if they wish to observe Sunday as they ought, they must keep away from drinking places on Saturday night. Carry your wages home to your families, where they rightfully belong. Turn a deaf ear, therefore, to every temptation; and then Sunday will be a bright day for all the family. How much better this than to make it a day of sin for yourselves, and of gloom and wretchedness for your homes, by a Saturday night's folly or debauch. No wonder that the Prelates of the Second Plenary Council declared that "the most shocking scandals which we have to deplore spring from intemperance." No wonder that they gave a special approval to the zeal of those who, the better to avoid excess, or in order to give bright example, pledge themselves to total abstinence. Like them we invoke a blessing on the cause of temperance, and on all who are laboring for its advancement in a true Christian spirit. Let the exertions of our Catholic Temperance Societies meet with the hearty co-operation of pastors and people; and not only will they go far towards strangling the monstrous evil of intemperance,

but they will also put a powerful check on the desecration of the Lord's Day, and on the evil influences now striving for its total profanation.

Let all our people "remember to keep holy the Lord's Day." Let them make it not only a day of rest, but also a day of prayer. Let them sanctify it by assisting at the adorable Sacrifice of the Mass. Besides the privilege of the morning Mass, let them also give their souls the sweet enjoyment of the Vesper service and the Benediction of the Blessed Sacrament. See that the children not only hear Mass, but also attend the Sunday-school. It will help them to grow up more practical Catholics. In country places, and especially in those which the priest cannot visit every Sunday, the Sunday-school ought to be the favorite place of reunion for young and old. It will keep them from going astray, and will strengthen them in the faith. How many children have been lost to the Church in country districts, because parents neglected to see that they observed the Sunday properly at home and at Sunday-school, and allowed them to fall under dangerous influences!

Forbidden Societies.

One of the most striking characteristics of our times is the universal tendency to band together in societies for the promotion of all sorts of purposes. This tendency is the natural outgrowth of an age of popular rights and representative institutions. It is also in accordance with the spirit of the Church, whose aim, as indicated by her name Catholic, is to unite all mankind in brotherhood. It is consonant also with the spirit of Christ, who came to break down all walls of division, and to gather all in the one family of the one heavenly Father.

But there are few good things which have not their counterfeits, and few tendencies which have not their dangers. It is obvious to any reflecting mind that men form bad and rash as well as good and wise designs; and that they may band together for carrying out evil or dangerous as well as laudable and useful purposes. And this does not necessarily imply deliberate malice, because, while it is unquestionably true that there are powers at work in the world which deliberately antagonize the cause of Christian truth and virtue, still the evil or the danger of purposes and associations need not always

spring from so bad a root. Honest but weak and erring human nature is apt to be so taken up with one side of a question as to do injustice to the other; to be so enamored of favorite principles as to carry them to unjustifiable extremes; to be so intent upon securing some laudable end as to ignore the rules of prudence, and bring about ruin instead of restoration. But no intention, no matter how honest, can make lawful what is unlawful. For it is a fundamental rule of Christian morals that "evil must not be done that good may come of it," and that "the end can never justify the means," if the means are evil. Hence it is the evident duty of every reasonable man, before allowing himself to be drawn into any society, to make sure that both its ends and its means are consistent with truth, justice and conscience.

In making such a decision, every Catholic ought to be convinced that his surest guide is the Church of Christ. She has in her custody the sacred deposit of Christian truth and morals; she has the experience of all ages and all nations; she has at heart the true welfare of mankind; she has the perpetual guidance of the Holy Ghost in her authoritative decisions. In her teaching and her warnings therefore, we are sure to hear the voice of wisdom, prudence, justice and charity. From the hill-top of her Divine mission and her world-wide experience, she sees events and their consequences far more clearly than they who are down in the tangled plain of daily life. She has seen associations that were once praise-worthy, become pernicious by change of circumstances. She has seen others, which won the admiration of the world by their early achievements, corrupted by power or passion or evil guidance, and she has been forced to condemn them. She has beheld associations which had their origin in the spirit of the Ages of Faith, transformed by lapse of time, by loss of faith, and by the manipulation of designing leaders, into open or hidden enemies of religion and human weal. Thus our Holy Father Leo XIII. has lately shown that the Masonic and kindred societies,—although the offspring of the ancient Guilds, which aimed at sanctifying trades and tradesmen with the blessings of religion; and although retaining, perhaps, in their "ritual," much that tells of the religiousness of their origin; and although in some countries still professing entire friendliness toward the Christian religion,—have nevertheless already gone so far, in many countries, as to array themselves in avowed hostility against Christianity, and against the Catholic Church as its embodiment; that they virtually aim at

substituting a world-wide fraternity of their own, for the universal brotherhood of Jesus Christ, and at disseminating mere Naturalism for the supernatural revealed religion bestowed upon mankind by the Saviour of the world. He has shown, too, that, even in countries where they are as yet far from acknowledging such purposes, they nevertheless have in them the germs, which, under favorable circumstances, would inevitably blossom forth in similar results. The Church, consequently, forbids her children to have any connection with such societies, because they are either an open evil to be shunned or a hidden danger to be avoided. She would fail in her duty if she did not speak the word of warning, and her children would equally fail in theirs, if they did not heed it.

Whenever, therefore, the Church has spoken authoritatively with regard to any society, her decision ought to be final for every Catholic. He ought to know that the Church has not acted hastily nor unwisely nor mistakenly; he should be convinced that any worldly advantages which he might derive from membership in such society, would be a poor substitute for the membership, the sacraments and the blessings of the Church of Christ; he should have the courage of his religious convictions, and stand firm to faith and conscience. But if he be inclined or asked to join a society on which the Church has passed no sentence, then let him, as a reasonable and Christian man, examine into it carefully, and not join the society until he is satisfied as to its lawful character.

There is one characteristic which is always a strong presumption against a society, and that is secrecy. Our Divine Lord Himself has laid down the rule: "Every one that doth evil, hateth the light and cometh not to the light, that his works may not be reproved: But he that doth truth cometh to the light that his works may be made manifest, because they are done in God" (John iii., 20, 21). When, therefore, associations veil themselves in secrecy and darkness, the presumption is against them, and it rests with them to prove that there is nothing evil in them.

But if any society's obligation be such as to bind its members to secrecy, even when rightly questioned by competent authority, then such a society puts itself outside the limits of approval; and no one can be a member of it and at the same time be admitted to the sacraments of the Catholic Church. The same is true of any organization that binds its members to a promise of blind obedience—to accept in

advance and to obey whatsoever orders, lawful or unlawful, that may emanate from its chief authorities; because such a promise is contrary both to reason and to conscience. And if a society works or plots, either openly or in secret, against the Church, or against lawful authorities, then to be a member of it, is to be excluded from the membership of the Catholic Church.

These authoritative rules, therefore, ought to be the guide of all Catholics in their relations with societies. No Catholic can conscientiously join, or continue in, a body in which he knows that any of these condemned features exist. If he has joined it in good faith and the objectionable features become known to him afterwards, or if any of these evil elements creep into a society which was originally good, it becomes his duty to leave it at once. And even if he were to suffer loss or run risk by leaving such a society or refusing to join it, he should do his duty and brave the consequences, regardless of human considerations.

To these laws of the Church, the justice of which must be manifest to all impartial minds, we deem it necessary to add the following admonition of the Second Plenary Council (No. 519): "Care must be taken lest workingmen's societies, under the pretext of mutual assistance and protection, should commit any of the evils of condemned societies; and lest the members should be induced by the artifices of designing men to break the laws of justice, by withholding labor to which they are rightfully bound, or by otherwise unlawfully violating the rights of their employers."

But while the Church is thus careful to guard her children against whatever is contrary to Christian duty, she is no less careful that no injustice should be done to any association, however unintentionally. While therefore the Church, before prohibiting any society, will take every precaution to ascertain its true nature, we positively forbid any pastor, or other ecclesiastic, to pass sentence on any association, or to impose ecclesiastical penalties or disabilities on its members without the previous explicit authorization of the rightful authorities.

Catholic Societies.

It is not enough for Catholics to shun bad or dangerous societies, they ought to take part in good and useful ones. If there ever was a time when merely negative goodness would not suffice, such assuredly

is the age in which we live. This is pre-eminently an age of action, and what we need to-day is active virtue and energetic piety. Again and again has the voice of the Vicar of Christ been heard, giving approval and encouragement to many kinds of Catholic associations, not only as a safeguard against the allurements of dangerous societies, but also as a powerful means of accomplishing much of the good that our times stand in need of. Not only should the pastors of the Church be hard at work in building up "the spiritual house" (I. Pet. ii., 5), "the tabernacle of God with men" (Apoc. xxi., 3), but every hand among the people of God should share in the labor.

In the first place, we hope that in every parish in the land there is some sodality or confraternity to foster piety among the people. We therefore heartily endorse anew all approbations previously given to our many time-honored and cherished confraternities, such as those of the Sacred Heart of Jesus, of the Blessed Sacrament, and of the Blessed Virgin.

Next come the various associations for works of Christian zeal and charity: the Society for the Propagation of the Faith, and the Holy Childhood, than which there are none more deserving; societies for the support of Catholic education; Christian doctrine societies for the work of Sunday-schools; societies for improving the condition of the poor, among which stands pre-eminent the Society of St. Vincent de Paul; church-debt societies; societies for supplying poor churches with vestments and other altar requirements; local sanctuary societies; and other methods of uniting the efforts of the people of the parish for useful and holy purposes. It ought to be the comfort and the honest pride of every Catholic to take an active part in these good works; and if any are hindered from contributing a portion of their time and labor, they should contribute as liberally as they can out of their pecuniary resources.

Then there are associations for the checking of immorality, prominent among which are our Catholic Temperance Societies. These should be encouraged and aided by all who deplore the scandal given and the spiritual ruin wrought by intemperance. It is a mistake to imagine that such societies are made up of the reformed victims of intemperance. They should be, and we trust that they everywhere are, largely composed of zealous Catholics who never were tainted with that vice, but who mourn over the great evil and are energetically endeavoring to correct it.

We likewise consider as worthy of particular encouragement associations for the promotion of healthful social union among Catholics,—and especially those whose aim is to guard our Catholic young men against dangerous influences, and to supply them with the means of innocent amusement and mental culture. It is obvious that our young men are exposed to the greatest dangers, and therefore need the most abundant helps. Hence, in the spirit of our Holy Father Leo XIII., we desire to see the number of thoroughly Catholic and well-organized associations for their benefit greatly increased, especially in our large cities; we exhort pastors to consider the formation and careful direction of such societies as one of their most important duties; and we appeal to our young men to put to good profit the best years of their lives, by banding together, under the direction of their pastors, for mutual improvement and encouragement in the paths of faith and virtue.

And in order to acknowledge the great amount of good that the "Catholic Young Men's National Union" has already accomplished, to promote the growth of the Union and to stimulate its members to greater efforts in the future, we cordially bless their aims and endeavors and we recommend the Union to all our Catholic young men.

We also esteem as a very important element in practical Catholicity, the various forms of Catholic beneficial societies and kindred associations of Catholic workingmen. It ought to be, and we trust is everywhere their aim to encourage habits of industry, thrift and sobriety; to guard the members against the dangerous attractions of condemned or suspicious organizations; and to secure the faithful practice of their religious duties, on which their temporal as well as their eternal welfare so largely depends.

With paternal affection we bestow our blessing upon all these various forms of combined Catholic action for useful and holy purposes. We desire to see their number multiplied and their organization perfected. We beseech them to remember that their success and usefulness must depend, in a great measure, upon their fidelity to the spirit of the Church, and on their guarding carefully against influences that might make them disloyal. The more closely pastors and people are united in good works, the more abundantly will those associations be blessed and their ends be accomplished, the more perfectly will all Christians be united in fraternal charity, and the more

widely and firmly will the Kingdom of Christ on the earth be established.

Home and Foreign Missions.

The duties of a Christian begin with his own household and his own parish; but they do not end there. The charity and zeal in his heart must be like that in the heart of the Church, whose very name is Catholic,—like that in the heart of Christ, who "died for all," and "who gave Himself a redemption for all" (II. Cor. v., 15; I. Tim. ii., 6). The Divine commission to the Church stands forever: "Go, teach all nations; preach the Gospel to every creature;" and every one who desires the salvation of souls, should yearn for its fulfilment, and consider it a privilege to take part in its realization. The more we appreciate the gift of faith, the more must we long to have it imparted to others. The heart of every true Catholic must glow as he reads of the heroic labors of our missionaries among heathen nations in every part of the world, and especially among the Indian tribes of our country. The missionary spirit is one of the glories of the Church and one of the chief characteristics of Christian zeal.

In nearly all European countries there are Foreign Mission Colleges, and also associations of the faithful for the support of the missions by their contributions. Hitherto we have had to strain every nerve in order to carry on the missions of our own country, and we were unable to take any important part in aiding the missions abroad. But we must beware lest our local burdens should make our zeal narrow and uncatholic. There are hundreds of millions of souls in heathen lands to whom the light of the Gospel has not yet been carried, and their condition appeals to the charity of every Christian heart. Among our own Indian tribes, for whom we have a special responsibility, there are still many thousands in the the same darkness of heathenism, and the missions among our thousands of Catholic Indians must equally look to our charity for support. Moreover, out of the six millions of our colored population there is a very large multitude, who stand sorely in need of Christian instruction and missionary labor; and it is evident that in the poor dioceses in which they are mostly found, it is most difficult to bestow on them the care they need, without the generous co-operation of our Catholic people in more prosperous localities. We have therefore urged the establishment of the Society for the

Propagation of the Faith in every parish in which it is not yet erected, and also ordered a collection to be made yearly in all the dioceses, for foreign missions and for the missions among our Indians and Negroes. We have done this through a deep sense of duty, and we trust that our noble-hearted people will not regard it as a burden imposed on them, but as an opportunity presented to them of co-operating in a work which must be specially dear to the Heart of Our Lord.

These are the leading matters, venerable and beloved brethren, which have engaged our attention during this Council. The objects of our deliberations have been the same that have occupied the energies of the Church and her pastors ever since the days of the Apostles,—namely, the extension of the kingdom of God, the building up the Body of Christ, the giving greater "glory to God in the highest, and peace on earth to men of good will," by shedding abroad more abundantly the blessings of religion, and the graces of redemption. Our legislation is not intended to impose burdens or limitations upon you, but, on the contrary, to enlarge and secure to you "the liberty of the children of God." The path of duty and virtue is clearly marked and pointed out, not to restrain your freedom, but that you may journey safely, that you may live wisely and virtuously, that you may have happiness temporal and eternal.

And now we write you these things, that you may be partners in our solicitude, that every heart may cry out "Thy Kingdom come;" that every hand may be active in confirming and extending it. Accept with willing and loving hearts these lessons which spring from hearts full of love for you, and entirely consecrated to your service. Give joy to us and to our Divine Lord by putting them faithfully in practice. And may the blessing of Almighty God, the Father, the Son, and the Holy Ghost, descend upon you abundantly, and abide with you forever.

Given at Baltimore, in the Plenary Council, on the 7th day of December, in the year of our Lord 1884.

In his own name and in the name of all the Fathers,

✠ JAMES GIBBONS,
Archbishop of Baltimore and Apostolic Delegate.

RESPONSA S. SEDIS AD POSTULATA PATRUM.

I. Decretum.

De Festis S. Philippi a Jesu, S. Turibii, et S. Franc. Solani.

Americae Septentrionalis seu Baltimoren.

Quo pietas ac devotio augeatur erga S. Philippum a Jesu, Martyrem, qui in America ortum habuit, necnon SS. Confessores Turibium, Pontificem ac Franciscum Solanum, qui praedicatione ac virtutum splendore Americae ipsius regiones illustrarunt; Sacrorum Antistites dioecesium in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, in plenaria Synodo Baltimorensi Tertia coadunati, SS. D. N. Leonem PP. XIII. enixe rogarunt, ut in Kalendariis ac Propriis respectivarum dioecesium sub ritu duplici minori Festa eorumdem Sanctorum inscribi valeant; nimirum die 5 Februarii, S. Philippi a Jesu, Martyris, cum officio de Communi, Oratione, Lectionibus II. et III. Nocturni, necnon respondente Missa, desumptis ex Proprio Archidioeceseos Mexicanae; die 27 Aprilis, S. Turibii Conf. Pont., cum officio ac Missa sumptis ex Proprio Hispaniarum: ac demum die 24 Julii, S. Francisci Solani Confessoris, cum officio ac Missa pro Archidioecesi Limana approbatis.

Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne in omnibus annuere dignata est juxta preces, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 17 Septembris, 1885.

Pro Emo. et Rmo. Dno. Card. D. Bartolini, S. R. C. *Praefecto.*

A. Card. Serafini.

Laurentius Salvati, S. R. C. *Secretarius.*

II. Decretum.

De Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

Cum Patres Concilii Tertii Baltimorensis supplices preces huic Sacrae Congregationi Christiano Nomini propagando porrexerint, ut cum agitur de bonis ac fundis dioeceseos vel missionum permutandis, hypothecis imponendis, aliisque agendis quae specimen alienationis praeseferunt, ipsis concedatur indultum, quo ad solemnitates a jure canonico statutas circa alienationem bonorum ecclesiasticorum servandas non astringantur, Emi. ac Rmi. Patres Sacro huic Consilio praepositi, attentis peculiaribus circumstantiis, in quibus Ecclesia Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis versatur, SSmo. D. N. Leoni PP. XIII. supplicandum censuerunt, ut singulis Praesulibus pro tempore existentibus super hac re speciales ac extraordinariae facultates ad decennium a die promulgationis Concilii Plenarii computandum tribuantur, ea tamen lege, ut praedicta facultate utantur perspecta prius ex consultorum consilio necessitate vel evidenti utilitate Ecclesiae, utque in fine cujuslibet triennii Episcopi ad S. Congregationem referant quibus in casibus, et pro quibus summis, ea usi sint, exposito etiam statu oeconomico illarum missionum pro quibus aes alienum contractum fuit.

Hanc vero S. Congregationis sententiam cum subscriptus R. P. D. Dominicus Jacobini, Archiepiscopus Tyrensis, Sacrae Congregationis secretarius SSmo. D. N. Leoni PP. XIII. in audientia diei 10 Septembris retulisset, Sanctitas Sua omnino adprobavit, et super his praesens Decretum expediri jussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 25 Septembris, 1885.

Joannes Card. Simeoni, *Praefectus.*
✠ D. Archiep. Tyren., *Secr.*

III. Decretum.

De Termino Concursus.

Cum ab infrascripto R. P. D. Dominico Jacobini Archiepiscopo Tyrensi, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, SSmo. Domino Nostro Leoni Divina Providentia PP. XIII. relatum fuerit, Patres Concilii III. Plenarii Baltimorensis suppliciter petiisse,

ut tempus ad concursum pro missionibus, quae inamovibilitatis praerogativa fruuntur, perficiendum, ad triginta dies differre possent a die indicti experimenti, Sanctitas Sua in audientia diei 10 Septembris 1885, audito voto Emorum. Patrum Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositorum, atque attentis rationibus sive dioecesium amplitudinis, sive locorum distantiae, sive gravissimorum negotiorum, quae assiduam Episcoporum sollicitudinem exigunt, omnibus Foederatorum Americae Septentrionalis Statuum Ordinariis indictum concursum ad mensem differendi facultatem benigne concessit ad decennium a die promulgationis praefati Concilii Tertii Plenarii Baltimorensis computandum.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 30 Septembris, 1885.

JOANNES CARD. SIMEONI, *Praefectus.*
✠ D. ARCHIEP. TYRENSIS, *Secr.*

IV. DECRETUM.

DE ORDINATIS TITULO MISSIONIS.

R. P. D. Archiepiscopus Baltimorensis suo ac Episcoporum Statuum Foederatorum Americae nomine ab Apostolica Sede petiit, ut juramentum quod ordinati titulo missionis praestant, eos exinde obliget non pro aliqua Diocesi tantum, sed pro tota provincia ecclesiastica, ita ut presbyteri sic ordinati sola collatione novi tituli in aliam dioecesim ejusdem Provinciae transferri possint de consensu utriusque Ordinarii, quin necessarium sit ut ipsi novum juramentum emittant. Insuper expostulavit quoad praeteritum, ut ordinati titulo missionis pro aliqua dioecesi ad aliam dioecesim intra eandem provinciam transferri possint novo titulo novoque praestito juramento absque recursu ad Apostolicam Sedem. Cum autem supplices hujusmodi preces in audientia diei 22 Novembris 1885 Sanctissimo D. N. Leoni XIII. a R. P. D. Dominico Jacobini, Archiepiscopo Tyrensi, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario relatae sint, Sanctitas Sua eas benigne excipere, ac expetita privilegia concedere dignata est, et super his praesens decretum expediri mandavit.

.Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 30 Novembris, 1885.

JOANNES CARD. SIMEONI, *Praefectus.*
✠ D. ARCHIEP. TYRENS., *Secr.*

V. Decretum.

De Extensione Constitutionis *Romanos Pontifices.*

Cum Patres in Concilio Plenario Tertio Baltimorensi congregati enixe a Sancta Sede expostulaverint, ut ad Ecclesiam Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Constitutio quae incipit "Romanos Pontifices" pro Anglia et Scotia die 8 Maji 1881 edita extenderetur, Sacra haec Congregatio perpendens ea quae providentissime in hac Constitutione praescribuntur, magnopere conditioni ejusdem Ecclesiae congruere, libentissime, ut a SSmo. Domino Nostro Leone PP. XIII. hujusmodi Patrum preces exciperentur, supplicandum esse duxerunt. Hanc vero Sacrae Congregationis sententiam Summo Pontifici Leoni PP. XIII. a R. P. D. Dominico Jacobini, Archiepiscopo Tyrensi, ejusdem Sacrae Congregationis secretario, in audientia diei 10 Septembris 1885 relatam, Sanctitas Sua benigne approbare dignata est, et praesens Decretum expediri jussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 25 Septembris, 1885.

Joannes Card. Simeoni, *Praefectus.*
✠ D. Archiep. Tyrensis, *Secr.*

VI. Responsum.

De Festis, Declaratione Benedictina et Quasi-Domicilio.

Romae, die 31 *Decembris*, 1885.

Illme. ac Rme. Domine:

Ab Amplitudine Tua nomine Patrum Concilii Tertii Plenarii Baltimorensis sequens supplicatio Summo Pontifici exhibita fuit, ut dies festi de praecepto ad quosdam determinatos in omnibus Dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis juvandos reducerentur.

Beatissime Pater:

Intra fines Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis magna obtinet diversitas in observandis diebus festis de praecepto. In aliis enim locis quinque, in aliis vero novem, in aliis etiam plures servantur, adeo ut non tantum acatholici, sed et fideles hac de

re jam commoveantur, non parum mirantes qua ratione id fiat, ut certis diebus obligatio audiendi missam et obstinendi ab operibus servilibus urgeat in una dioecesi vel provincia, in altera vero non. Praeterea in hisce regionibus fideles gravissimis premuntur difficultatibus quoad observantiam dierum festorum. Quum enim in parandis vitae necessariis magna ex parte ab acatholicis pendeant, qui labores diebus festis, nisi in Dominicas incidant, intermitti non patiuntur, maxima fidelium pars nonnisi cum gravissimis incommodis iisdem diebus ab operibus abstinere et SS. Missae Sacrificio interesse possunt. Hinc Patres in Concilio Plenario Baltimorensi Tertio congregati summopere in votis habentes, ut uniformitas in servandis Festis inducatur, matureque perpendentes difficultates, quibus fideles intra Foederatas has Provincias laborant, Beatitudini Tuae supplicandum duxerunt:

1°. Ut attentis peculiaribus circumstantiis Catholicorum in hisce regionibus morantium, Apostolica Auctoritate dignetur declarare, per omnes dioeceses Americae Septentrionalis Foederatae, de praecepto audiendi Missam et abstinendi a servilibus, servandos esse dies festos omnes et solos qui sequuntur:

Immaculata Conceptio, B. M. V.
Nativitas D. N. J. C.
Circumcisio D. N. J. C.
Ascensio D. N. J. C.
Assumptio B. M. V.
Festum Omnium Sanctorum.

Per rerum enim temporumque rationes istorum sex dierum festorum observatio felicius speratur.

2°. Quoad ceteros dies festos, qui praeter sex supradictos quibusdam in locis adhuc de praecepto sunt, ut ex Apostolica benignitate eorumdem locorum fideles solvantur quidem ab obligatione Missam audiendi et ab operibus abstinendi: quin tamen iidem dies festi quoad devotionem et solemnitatem externam supprimantur.

3°. Ad festum SS. Corpus Christi quod spectat, ut benigne indulgere velit, quod ejusdem Festi solemnitas in diem Dominicam proxime sequentem transferatur, ad normam indulti dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis concessi quoad festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut habetur in literis S. Congr. de Prop. Fide ad Archiepiscopum Baltimorensem diei 19 Decembris, 1840.

Quibus humilibus precibus ut Beatitudo Tua velit annuere, obsequenti animo supplicant Patres Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii.

Baltimorae, die 23 Decembris, 1884.

Beatitudinis Tuae,
Servus humillimus,
JACOBUS GIBBONS,
Archiep. Balt., Deleg. Apost.

Pariter expostulavit Amplitudo Tua, ut Declaratio Benedicti XIV. pro Hollandia edita a 1741, ad ea loca Statuum Foederatorum, ubi decretum "Tametsi" Concilii Tridentini viget, et de quibus non constat eandem fuisse extensam, extenderetur.

Supplicatio A. T. hoc modo se habet:

Beatissime Pater:

Archiepiscopi et Episcopi totius Americae Septentrionalis Foederatae, in Concilio Plenario Baltimorensi Tertio congregati, inter alias res, collatis consiliis, id etiam diligenter egerunt, ut ad liquidum deducerent, quibus in locis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis decretum Tridentinum "Tametsi" de matrimoniis clandestinis (Sess. XXIV., c. 1. de Ref.) vigeat, et in quibus non vigeat. Re studiose indagata ad hanc devenerunt sententiam:

Decretum "Tametsi" non viget in sequentibus Provinciis ecclesiasticis scilicet, 1. Baltimorensi; 2. Philadelphiensi; 3. Neo-Eboracensi; 4. Bostoniensi; 5. Oregonopolitana; 6. Milwaukiensi; 7. Cincinnatensi, excepta dioecesi Vincennopolitana; 8. S. Ludovici, exceptis ipsa civitate S. Ludovici et quibusdam aliis locis ejusdem Archidioecesis mox nominandis; 9. Chicaginensi, exceptis aliquibus locis dioecesis Altonensis proxime citandis.

In ceteris vero locis eorundem Statuum Foederatorum decretum "Tametsi" vigere censetur, scilicet, 1. In tota Provincia Neo-Aurelianensi; 2. in provincia S. Francisci cum territorio Utah, excepta ea parte ejusdem territorii quae jacet ad orientem fluminis Colorado; 3. in provincia S. Fidei, excepta parte septentrionali territorii Colorado; 4. in dioecesi Vincennopolitana; 5. in civitate S. Ludovici, necnon in locis dictis S. Genovefae, S. Ferdinandi et S. Caroli, Archidioecesis S. Ludovici; 6. in locis dictis Kaskaskia, Cahokia, French Village et Prairie du Rocher, dioecesis Altonensis.

Ejusdem Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii Patres item consilia contulerunt ad determinandum, quasnam ad partes Americae Septentrionalis Foederatae, in quibus decretum "Tametsi" viget, extensa fuerit Declaratio Benedicti XIV. a. 1741 pro Hollandia edita.

Ea de re Patres in hanc convenerunt sententiam:

Declaratio Benedictina extensa fuit 1. ad Provinciae Neo-Aurelianensis sequentes dioeceses, scilicet, Archidioecesim Neo-Aurelianensem; dioeceses Natchitochensem, Natchetensem, Petriculanam, Mobiliensem; 2. ad Provinciam S. Francisci cum territorio Utah; 3. ad dioecesim Vincennopolitanam Provinciae Cincinnatensis; 4. ad Archidioecesim S. Ludovici quoad partes in quibus viget decretum "Tametsi"; 5. ad loca dioecesis Altonensis in quibus idem decretum obtinet.

Declaratio Benedictina non extensa fuit ad Provinciam S. Fidei. Quoad dioeceses vero S. Antonii, Galvestonensem, Brownsvillensem, quae pertinent ad provinciam Neo-Aurelianensem, res est dubia, utrum necne declaratio Benedictina extensa fuerit.

Quae cum ita sint, quo uniformitas hac in re, omnibus in locis in quibus viget decretum "Tametsi" inducatur, nullusque relinquatur ambigendi locus, visum est Patribus Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii, Beatitudini Tuae supplicare, ut suprema sua auctoritate benigne dignetur Declarationem a Benedicto XIV. pro Hollandia editam ad eas extendere partes Americae Septentrionalis Foederatae, in quibus viget decretum "Tametsi," de quibusque constat eandem declarationem hactenus non fuisse extensam; uti et ad omnia alia loca, de quibus dubium movetur, aut in posterum moveri possit, utrum necne eadem Declaratio jam extensa fuerit.

Beatitudinis Tuae,

Servus humillimus,

JACOBUS GIBBONS,

Archiep. Balt., Deleg. Apost.

Porro hae petitiones ad Congregationem S. O. pro examine remissae sunt. Emi. vero Universales Inquisitores re mature perpensa, die 25 Novembris 1885 reposuerunt:

Ad I. Supplicandum SSmo. pro gratia juxta preces.

Ad II. Supplicandum SSmo. pro extensione ad dioeceses S. Antonii, Galvestonensem, et ad Vicariatum Apostolicum Brownsvillensem tantum.

Sanctitas vero Sua, cui haec omnia eadem die relata sunt, Patrum Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii precibus juxta S. Congregationis sententiam benigne annuere dignata est.

Relate autem ad aliam petitionem,[1] qua poscebatur ut simplex factum commorationis unius mensis in aliquo loco sufficeret ad ibi acquirendum domicilium, et ad valide matrimonium contrahendum, Emi. Patres, rem perpendere cupientes, responsionem differendam esse censuerunt.

. . . .

Amplitudinis Tuae,
Uti Frater addictissimus,
JOANNES CARD. SIMEONI, *Praefectus.*
✠ D. ARCHIEP. TYR., *Secr.*

R. P. D. JACOBO GIBBONS,
Archiepo. Baltimorensi.

[1] Cum in Concilio ageretur de nupturientibus qui, etsi per aliquot tempus in aliena dioecesi commorati sint, ibi tamen juxta leges modo vigentes ne quasi-domicilium quidem acquisierunt, Patres hac de re decretum tulerunt, Apostolica Auctoritate firmandum, cujus tenor in sequenti petitione ad S. Sedem exponitur:

BEATISSIME PATER:

In deliberationibus quas de quaestionibus matrimonialibus habuerunt Patres Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii, Beatitudinem Tuam censuerunt orandam, ut Apostolica Auctoritate pro Foederatis Americae Septentrionalis Provinciis dignetur decernere, eos qui e sua dioecesi ad aliam transeunt, modo in hac per spatium unius saltem mensis commorati sint, eo ipso, nulla facta inquisitione de animo manendi per majorem anni partem, censendos esse acquisiisse quasi-domicilium quod sufficiat ad matrimonium contrahendum, eosque subditos constituendos Episcopi ejusdem dioecesis in ordine ad dispensationes ab impedimentis, si quae obstent, obtinendas.

Rationes hujus petitionis sunt: 1. Gravia incommoda et anxietates ac molestiae quae frequenter sacerdotibus oriuntur, si canonicae praescriptiones de quasi-domicilio sint servandae. 2. Periculum ne secus nupturientes, scandalo fidelium, magistratum civilem aut praeconem sectae acatholicae adeant ad matrimonium contrahendum.

Beatitudinis Tuae,
Filius obedientissimus,
JACOBUS GIBBONS,
Archiep. Balt., Deleg. Apost.

DECRETA CONCILII.

DECRETA CONCILII.

DECRETA CONCILII.

TITULUS PRAEVIUS.

DECRETUM DE FIDELITER SERVANDIS OMNIBUS CONCILII PLENARII BALTIMORENSIS SECUNDI DECRETIS.

Quaecumque in Concilio Plenario Baltimorensi II. decreta sunt, manifeste ostendunt quanta sapientia et prudentia usi fuerint dicti Concilii Patres in legibus ferendis, quales temporum illorum ratio postulabat. Neque illud omittendum est, haec decreta annuente Sancta Sede a Patribus ejusdem Concilii (Titulo xiv., *De efficaciori Decretorum Baltimorensium executione promovenda*) proposita fuisse quasi normam, quam in scholis Theologiae et Juris Canonici doctores sequerentur et explicarent, quamque eorum discipuli accurate et diligenter addiscerent. Declaramus igitur ac decernimus, omnia quae in Concilio Plenario Baltimorensi Secundo constituta et decreta fuerunt, adhuc in suo vigore permanere, et omnes cujusvis ordinis clericos et laicos iisdem debitam reverentiam et obedientiam exhibere teneri, iis tantummodo exceptis, quae forte per hoc Concilium Plenarium Baltimorense Tertium sive abrogata sive immutata fuerint.

TITULUS I.

De Fide Catholica.

CAPUT UNICUM.

1. Quoniam fundamentum et radix justificationis est fides, ab ea opus Concilii hujus Plenarii III. Baltimorensis ducit initium. Omnia igitur quae ab Ecclesia Catholica, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, ut divinitus revelata credenda proponuntur, credimus, solemni professione confitemur et docemus; signanter vero, ea quae in Oecumenico Concilio Vaticano, constitutionibus dogmaticis *Dei Filius* et *Pastor Aeternus* definita sunt.

2. Credimus itaque et docemus, mundum resque omnes quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo, liberrima voluntate, ad sui gloriam, ex nihilo esse productas.

3. Item credimus et docemus Deum rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; attamen placuisse ejus sapientiae ac bonitati alia, eaque supernaturali via seipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare. Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Praeter ea, ad quae naturalis

ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem.

4. Credimus et docemus, hominem, cum a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare teneri. Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.

5. Credimus et docemus sine fide impossibile esse placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire. Ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus possit agnosci.

6. Credimus et docemus omnem revelationem, fide divina et Catholica credendam, secundum universalis Ecclesiae fidem a Sancta Tridentina Synodo declaratam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.

7. Credimus et docemus hanc revelationem, tanquam depositum pretiosissimum, fidelissime custodiendum, a Christo Domino commissum fuisse Apostolis eorumque successoribus; sed praesertim Beato Petro, ejusque successori in primatu jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam, scilicet, Romano Pontifici, qui ab omnibus Christifidelibus agnosci debet tanquam verus Christi Jesu in terris Vicarius, totius Ecclesiae visibile Caput, et omnium Christianorum Pater ac Doctor.

8. Credimus proinde ac docemus verbis ipsis definitionis Vaticani Concilii: "Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse, erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno Summo Pastore. Haec est Catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest."

9. Credimus pariter ac docemus: "Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse."

10. Quapropter, reprobamus omnes errores sive a Conciliis Generalibus praesertim Vaticano, sive a Romanis Pontificibus damnatos; illos quoque detestamur qui in Literis Encyclicis Leonis Papae XIII. feliciter regnantis, *Quod Apostolici muneris*, de Socialistarum erroribus, *Diuturnum illud*, de Principatu politico, et *Arcanum*, de Matrimonio Christiano, commemorantur.

TITULUS II.

De Personis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Episcopis.

11. Jubet Apostolus Episcopos attendere sibi et universo gregi, in quo eos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Clericis igitur et laicis omnibus suae dioecesis jure suo praesunt, inque eos curam exercent et invigilant, quasi in oves ad pascua salutaria ducendas et a noxiis revocandas et arcendas. Jam vero per pascua noxia intellexerunt semper Patres nostri quidquid doctrinae a Christo revelatae et per Ecclesiam custoditae repugnaret, animarumve spirituali bono officere posset; per bona autem et salubria quidquid veritati divinae consonum esset, hominibusque ad vitam aeternam consequendam proficeret. Episcopus ergo, cum debita subordinatione ad supremum illum Antistitem qui Petri doctrinae locique haeres est, origo et fundamentum unitatis in grege suo merito vocatur. Idque apparet maxime in docendi ac regendi potestate. Nemini enim licet contra eum cathedram ad docendum erigere; nemini praeter ejus voluntatem ea aggredi quae spectant ad curam et regimen animarum. Magna itaque est Episcopi dignitas cui, teste Ignatio Martyre, (Ep. ad Smyrn.) grex suus seu particularis

Ecclesia consociari et adhaerere debet, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus ibi est Ecclesia Catholica. Quapropter omnes revereantur Episcopum, quemadmodum idem S. Ignatius ait (Ep. ad Trall.), ut Jesum Christum, cujus locum tenet.

12. Splendidissimam igitur hanc dignitatem, quam cum ipso Christus communicavit, discat Episcopus ipse prae caeteris, ut par est, venerari, eamque omni quo potest modo servare ac tueri. Quod optime ac facillime procul dubio efficiet, si contemptis hujus mundi divitum ac potentiorum opinione et exemplis, omne ambitionis studium a se caute repellat, si fastum et saeculi pompam perpetuo aversetur, si tota vitae agendae ratione manifeste prodat nullam se spem aut curam ponere in suis suorumque commodis conquirendis vel augendis. Curet ut haec dignitas non solum tuta servetur, sed incrementa in dies accipiat, eam iis potissimum virtutibus exornando, quae Episcopum maxime decent, inter quas elucent humilitas, caritas et zelus animarum. Audiat Petrum (I. Pet. V. 3) vetantem ne quis dominetur in cleris, contra hortantem ut fiat forma gregis ex animo. Gregem igitur suum viam salutis doceat non tantum voce quantum vita et exemplo, quibus homines facilius et efficacius ad praecepta divina et vitam aeternam pertrahuntur. Audiat Paulum (I. Tim. III. 2, 3, 4; Tit. I. 7, 8, 9; II. 7) qui in Epistolis ad Timotheum et Titum dotes enumerat quibus fulgere debet Episcopus, sanctique Apostoli monita et hortamenta secutus, eas omnes indefesso studio sibi comparare aut jam diuturna exercitatione comparatas perficere conetur. Praecipue in Clero populoque regendo nunquam immemor sit Boni illius Pastoris et Episcopi animarum nostrarum, qui etiam sub Agni mitissimi figura Seipsum nobis commendare dignatus est. Itaque etiam dum legitimam potestatem exercet, sive commonefaciendo sive comminando,

sive etiam puniendo, paternae charitatis viscera potius quam regentis auctoritatem et imperium praeseferat. Saepe enim efficacior est benevolentia et charitas in malis arcendis et sanandis quam judiciorum austeritas et rigor potestatis. Quod si quando ad poenas deveniendum sit, posthabita omni cogitatione humana omnique violatae dignitatis sensu seposito, nil aliud sibi animo praefigat Episcopus, quam ut rei emendentur aut, si resipiscere nolint, eorum poena ab hujuscemodi culpis ceteri deterreantur. (Cf. Conc. Trid., Sess. XIII., de Ref. c. 1.)

13. Canonicis institutis sapienter inductus fuit mos, quo Episcopi statis temporibus ad sacra Apostolorum Limina accedunt, ut obsequium et obedientiam suam Pontifici praestent, eidemque de pastorali ipsorum munere rationem reddant, deque ecclesiarum suarum statu ceterisque omnibus referant, quae summum Ecclesiae Rectorem scire opportunum et utile est. Et hoc quidem Episcoporum officium ab antiquissimis Patribus tanquam ex intimis Primatus juribus derivatum commendatur, laudaturque quasi tessera unitatis ac communionis, quam omnes qui sunt undique fideles per praesules suos habere debent cum maxima et antiquissima omnium Ecclesia et gloriosissima B. Petri Sede. Episcopis et Vicariis Apostolicis nostris indultum fuit ut hanc sacrorum Liminum visitationem intra decennium peragerent. Unde vero initium hujus decennii computandum sit, nulli dubium esse potest qui Congregationis de Propaganda Fide declarationes hac in re perlegerit. Diserte enim edicunt, decennia ita esse computanda, ut initio sumpto a die quo Sixti V. Constitutio *Romanus Pontifex* edita fuit,[1] nimirum a die 20 Decembris anni 1585, perpetuo et sine ulla interruptione pro omnibus successoribus Episcopis decur-

[1] Vide ap. *Lucidi*, De Visitatione SS. Lim., vol. III., pag. 1 sqq., edit. III.

rant. Neque alia est computandi ratio, etiam si agatur de sedibus recenter erectis. Harum ergo sedium Episcopi, sicut in aliis dispositionibus, etiam in hac constitutioni Sixtinae adhaerere debent. (Ita respondit S. Congregatio de Propaganda Fide in Comitiis generalibus die 3 Maji 1875 habitis, ut refertur in Instructione ejusdem S. Congregationis super Visitatione SS. Liminum.[1]) Episcopus, qui non potest per se, tenetur per procuratorem visitare.

14. Quum boni pastoris sit, exemplo Christi Domini oves suas nosse et ab iisdem cognosci, Visitatio dioecesis cum pastorali Episcoporum officio tam arcte conjuncta est ut nullo modo omitti aut negligi possit. Unusquisque igitur Episcopus saltem unoquoque triennio totam dioecesim perlustrare teneatur, non solum ut gregem suum cognoscat eaque omnia quae ad spirituale eorum bonum necessaria sunt suis ipse oculis perspiciat, sed etiam ut fideles tot amittendae fidei in hac regione periculis expositos Sacramento Confirmationis munire possit. Quod si per se ipse facere nequeat, id per alios idoneos viros praestet, adhibito etiam pro Sacramento Confirmationis alicujus inter viciniores Episcopos ministerio. Quum vero, inter cetera, in temporalem Ecclesiarum administrationem accurate inquirere maximi intersit, si fieri potest secum ducat duos convisitatores, vel saltem unum, hosque eligat ex praestantioribus inter presbyteros, et praesertim ex iis qui in bonis temporalibus Ecclesiae administrandis scientia et experientia excellere noscuntur. In visitatione peragenda, praeter caeremonias praescriptas, serventur quae in jure praecipiuntur. (Vide Caeremoniale Baltimorae anno 1883 editum.) Neque omittat Episcopus prae oculis habere quaesita a S. Congregatione proposita, quo accuratiorem

[1] Vide in *Appendice*, p. 197. Juramentum episcopi in consecr., ib. p. 202.

de Statu Dioecesis Relationem ad Sanctam Sedem juxta morem hujus S. Congregationis singulis quinquenniis transmittat. De expensis Episcopi eorumque quos secum ducit providebitur in Synodo Dioecesana. Denique accuratam visitationis relationem in scriptis fieri curet Episcopus in archivio dioecesano asservandam.

15. Quam utile sit sanctae Dei Ecclesiae, immo quam necessarium ut Dominicus grex nonnisi per Episcopos doctrina, prudentia, pietate ac zelo praecellentes regatur, et cordatus quisque per se probe novit, et historia omnium saeculorum luculenter testatur. Quapropter tribus abhinc saeculis Sacrosancta Tridentina Synodus, quo melius collapsa ecclesiastica disciplina revivisceret, moresque cleri et populi in deterius versi reformarentur, sapientissime judicavit ab ipso Episcopatu exordiendum esse; salutem enim subditorum in praesidentium integritate consistere credebat. (Cf. Conc. Trid., Sess. VI., c. 1 de Ref.) Romani Pontifices canones hac de re in memorata Synodo latos non solum vehementer probarunt, sed et executioni mandandos semper et ubique fidelissime curarunt. Ut de nostra tantummodo Ecclesia loquamur, omnibus notum est quanta sollicitudine laboraverint, ut singulis per hasce regiones dioecesibus Episcopi, quales postulabat religionis honor et rerum nostrarum tempora, doctrina praediti, pietate ac prudentia insignes praeficerentur. Quod apprime testantur tot declarationes, instructiones et decreta per S. Congregationem de Propaganda Fide edita jam inde ab anno 1834 ad annum 1883, quo Patribus hujus Concilii tanquam norma quam prae oculis haberent, proposita fuere quae sequuntur. Quam normam pleno mentis et cordis obsequio Nos sequentes decernimus:

I. Quando ob sedem vacantem proponenda sunt S. Sedi nomina eorum qui commendandi videantur pro dioecesi vacante, convocentur consultores et rectores

inamovibiles praedictae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum quos dignos judicaverint Episcopis provinciae indicare, ut hi prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

II. Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopus, vel si impeditus est, Episcopus suffraganeus ejusdem provinciae ab ipso delegandus; si vero de sede metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus antiquior ratione ordinationis, vel eo impedito, alius Episcopus ab ipso delegandus.

III. Antequam ad suffragia ventum fuerit, consultores et rectores praedicti jurent se neque gratia neque favore induci ad suffragium ferendum. Hujusmodi autem suffragium erit secretum et consultivum tantum.

IV. Praeses mittet verbale hujus conventus, secretarii subscriptione signatum, ad ceteros Episcopos et ad S. Congregationem.

V. Die constituta convenient Episcopi et nomina sic proposita, vel alia ab ipsis proponenda, juxta Instructionem S. Congregationis die 21 Januarii 1861 datam[1] discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si judicaverint nomina a clero proposita esse rejicienda, rationes suas S. Congregationi exponere non omittant.

VI. In reliquis omnibus praedictam Instructionem sequantur.

16. Quum vero agitur de designando Episcopo coadjutore cum jure successionis omnino serventur quae in regulis I., III., IV., V. et VI. supra citatis enumerantur. Regula autem II. sic immutabitur: Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesidebit Archiepiscopus sive Episcopus pro quo coadjutor eligendus est; aut, si impeditus sit, vicarius generalis, vel alius sacerdos ab ipso delegandus. Episcopus autem hoc in casu poterit,

[1] Vide inter Decreta Conc. Plen. Balt. II., Tit. III. Cap. III.

si velit, suggerere aut designare nomina eorum, qui ipsi pro hoc munere maxime accepti forent.

In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta observentur, quae in regulis II., III., IV., V., VI., supra praescribuntur. Regula autem I., erit sequens: Quando S. Sedi proponenda sunt nomina eorum qui commendandi videntur pro dioecesi noviter erecta, convocentur consultores dioecesis vel dioecesium, e quibus nova dioecesis formata est, et rectores inamovibiles novae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum quos dignos judicaverint Episcopis provinciae exhibere, ut ii prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

CAPUT II.

De Consultoribus Dioecesanis.

17. Provide admodum in Ecclesia Dei instituta sunt capitula cathedralia seu collegia canonicorum in ecclesiis cathedralibus, qui Episcopis in gubernandis suis dioecesibus consilio et opera adsint, tanquam ecclesiae senatus, praecipuique Episcoporum coadjutores ac consiliarii. Sane tot sunt tantaque onera et sollicitudines pastoralis ministerii, ut administrandis suis dioecesibus Episcopi per se solos vix sint pares. Hinc magnopere optandum, ut hisce etiam in regionibus executioni protinus possent mandari, quae canonicis sanctionibus de capitulo ecclesiae cathedralis sapientissime habentur constituta. Quod quum rerum conditiones, in quibus dioeceses nostrae praesenti versantur tempore, fieri non sinant, visum est Patribus hujus Plenarii Concilii, donec aliter provideatur, quae sequuntur decernere ac mandare.

18. Quamdiu, in praesenti rerum statu, capitula cathedralia erigi nequeunt, instituantur Consultores Dioecesani, sacerdotes pietate morumque integritate, sollicitudine pro

animarum salute, doctrina, prudentia, rerum hominumque experientia, necnon sacrorum canonum et dioecesanorum statutorum observantia insignes. Ejusmodi consultorès numero debent esse sex vel saltem quatuor; ubi vero nullo modo tot haberi poterunt, sint saltem duo.

19. Eligendi erunt consultores ab Episcopo, ea tamen ratione, ut dimidiam eorum partem eligat ex sese, alteram vero partem nonnisi post propositionem cleri. Propositio autem ex parte cleri fiet hoc modo: singuli sacerdotes qui in dioecesi sacro ministerio funguntur, Episcopo exhibebunt nomina eorum scripta, quos pro munere consultorum idoneos putaverint, quin taxative aliquos designent. Pro unoquoque seligendo consultore tria nomina proponi debent; ex his vero Episcopus eos eliget, quos ipse in Domino aptiores judicaverit.

20. Ad Consultorum attributiones quod pertinet, Patres de his convenerunt: 1° Consilium consultorum exquiret Episcopus pro synodo dioecesana indicenda et publicanda. 2° Si contingat ut missio seu parochia aliqua sit dismembranda, exquirendum erit consilium consultorum, necnon et rectoris dismembrandae missionis. 3° Consultorum item requiretur consilium, quando id agetur, ut missio seu parochia tradatur alicui familiae religiosae; quo in casu necessaria erit etiam venia S. Sedis. 4° Consultorum consilium exquiretur in constituendis deputatis pro seminariis dioecesanis. 5° Item consultorum consilium necessarium erit in eligendo novo consultore et in eligendis examinatoribus qui sint loco synodalium. 6° Quando agitur de bonis et fundis dioecesis vel missionum permutandis aliisque agendis, quae speciem alienationis prae se ferunt, ubi summa pecuniae non excedat valorem quinque millium scutatorum, Episcopi liberi erunt; ubi vero negotium eam summam superat, tunc requiritur consilium consultorum, eoque praehabito, necessaria est S. Sedis permissio. Verum quum pecu-

liares circumstantiae in quibus Ecclesia in Statibus Foederatis impraesentiarum versatur, non permittant habere in singulis casibus recursum ad S. Sedem, Sanctissimus D. N. Leo XIII. ad preces Patrum benigne indulget, ut interim per S. Congregationem de Propaganda Fide speciales et extraordinariae facultates hac super re tribuantur.[1]

Item, praehabito consilio consultorum, necessarius erit recursus ad S. Sedem in singulis casibus, in quibus agatur de imponenda nova taxa pro Episcopo quae excedat limites a canonibus constitutos.

21. Consultores eligentur ad triennium. Postquam electi fuerint nullus eorum invitus removeri potest nisi ex legitima et justa causa, et de consilio ceterorum consultorum. Justa autem aderit causa, si ob senectutem, infirmitatem et similia ad consultoris partes obeundas inhabilis effectus fuerit, aut graviter delinquendo munere ejusmodi honorifico indignum sese reddiderit, vel propria culpa notabile passus sit famae detrimentum. In locum consultoris recedentis, sive remotionis, sive renuntiationis via, Episcopus alium sufficiet, de consilio tamen reliquorum consultorum. Casu quo triennium exspirare contigerit tempore vacationis sedis episcopalis, consultores in officio manebunt usque ad accessum novi Episcopi, qui intra sex menses a consecratione sua ad novam consultorum electionem instituendam tenetur.

Consilium consultorum praestabitur collegialiter, et quoties eis ita videbitur, secretis suffragiis, ideoque Episcopus eos quater in anno statutis temporibus convocabit, vel, ubi id fieri non potest, saltem bis in anno; alias vero quoties ad pertractanda negotia erit necessarium.

22. Sede episcopali vacante, administrator dioecesis consilium consultorum adhibere tenetur, juxta normam supra statutam quoad consultorum attributiones.

[1] Vide Decretum de Bonorum Eccl. Alienatione, *supra*, p. ciii.

CAPUT III.

De Examinatorbius Cleri Dioecesani.

23. "Sacrosancta Tridentina Synodus, Sess. xxiii., c. 7 de Ref., decrevit ut Episcopus priusquam ordines conferat, aliquot sibi adscitis sacerdotibus, aliisque prudentibus viris, divinae legis peritis, et in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, 'ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.' Et c. 15, statuit, nullum sacerdotem, 'etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur et approbationem . . . obtineat.' Postquam autem, Sess. xxiv., c. 18 de Ref. praemiserat, animarum saluti maxime expedire, a dignis et idoneis parochis gubernari, ut id diligentius ac rectius perficiatur, edixit, vacantes ecclesias parochiales illis duntaxat esse ab Episcopo conferendas, qui in experimento, seu examine, coram eodem Episcopo aut ejus vicario generali, aliisque examinatoribus non paucioribus quam tribus instituendo, fuerint approbati et idonei renuntiati. Jussit praeterea, sex ad minus examinatores ab Episcopo, vel ejus vicario, in synodo dioecesana, singulis annis proponi, 'qui synodo satisfaciant et ab ea probentur;' e quibus, adveniente parochialis ecclesiae vacatione, tres ab Episcopo seligi voluit, qui una cum eo examen perficiant, addiditque: 'Sint vero hi examinatores magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, se,

quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec ante nec post accipiant; alioquin simoniae vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur.'" (Ita Bened. XIV., de Syn. Dioec., lib. IV., c. 7, n. 1.)

24. Ut igitur mentem Sacrosanctae Synodi sequamur, quamdiu paroeciae canonice erectae non sint, constituant singuli Episcopi examinatores cleri dioecesani pro concursibus ad missiones, in quibus rectori privilegium tributum est inamovibilitatis, ad instar examinatorum synodalium vel prosynodalium; et eorumdem examinatorum opera utilius et securius utentur etiam sive pro approbandis confessariis, sive pro ordinandorum scrutinio, sive pro examine juniorum sacerdotum, sive pro examinandis alumnis qui in seminarium majus admitti volunt. Ad examinatorum munus assumantur viri ecclesiastici morum probitate maxime commendabiles et, quantum fieri possit, in sacris disciplinis et jure canonico apprime versati.

25. Hi examinatores, in quantum fieri potest, sint ad minus sex. Obtenta facultate S. Sedis, Episcopus poterit eligere Examinatores extra synodum, auditis tamen consultoribus. Quod si morte, aut renuntiatione, aut alia causa praescriptus examinatorum numerus deficiat, Episcopus, de consilio consultorum, alios subrogabit.

26. Electi examinatores juramentum praestent de munere suo sincere adimplendo ac de donis non recipiendis intuitu examinis. Quod juramentum in ipsa synodo erit emittendum, si examinatores in synodo eligantur et electi synodo adsint; sin minus coram Episcopo aut ejus vicario. (Bened. XIV., l. c., n. 6.)

CAPUT IV.

De Decanis seu Vicariis Foraneis.

27. Ex historià Ecclesiae compertum est Episcopis in conservanda ecclesiastica disciplina, egregie operam navasse per plura saecula Decanos seu Vicarios Foraneos. Nostris quoque temporibus cum magno religionis emolumento ad Episcoporum adjumentum adhibentur ubicumque in satis extensis dioecesibus frequens invenitur clerus. Hinc etiam secundum suggestionem Concilii Plenarii Baltimorensis II., (No. 74) in nonnullis partibus instituti fuerunt; atque in aliis profecto utiliter institui possent.

28. Eorum apud nos munus, praeter alia a Concilio Baltimorensi indicata, potissimum esset collationibus sive congressibus sacerdotum pro rebus theologicis discutiendis praesidere, invigilare presbyteris intra suum decanatum degentibus, itemque aliquoties per annum Episcopo referre quae in ipsorum districtu notabilia contingunt.

29. Quo efficacius implere valeant haec officia, oportet ut Ordinarii his suis vicariis facultates quasdam plus minusve extensas concedant, atque aliquam etiam praeeminentiam inter rectores conferant.

30. Ad munus istud eligendi tantum erunt ii presbyteri, qui experientiam sacri ministerii jam adepti, doctrina, pietate ac prudentia sint praediti, quique tali modo auctoritatem suam exercere sciant, ut vere sint Episcopi sui oculi et aures, discrete vigilantes, paterne monentes, fideliterque referentes "num clerus et populus ut decet vivant, num proprius in ecclesiis cultus adhibeatur, num supellex, sacra praecipue, debito nitore conservetur, et visitationum decreta suae sint executioni mandata." (Concilium Romanum, a 1725.)

CAPUT V.

De Rectoribus Inamovibilibus.

31. Antiquitus non erant paroeciae distinctae, sed Episcopus totius dioeceseos animarum curam gerebat per presbyteros suo libitu ex ecclesia cathedrali in varias civitatis et dioeceseos partes ad sacra obeunda missos, et ad nutum revocabiles. Sed decursu temporis quum augeretur populus Christianus, paulatim usu receptum et sacris canonibus pro meliori et tutiori regimine spirituali animarum sancitum est, ut dioeceses in paroecias subdividerentur, et unicuique proprius parochus assignaretur, qui ratione sui officii teneretur ad sibi concreditae certisque limitibus circumscriptae partis gregis curam habendam, sub Episcopo universae dioeceseos Ordinario. Concilium Tridentinum dein Episcopis injunxit, ut in iis civitatibus et locis, ubi nullae essent parochiales ecclesiae, quamprimum fieri curarent; ubi parochiales ecclesiae certos non haberent fines, sed earum rectores promiscue petentibus sacramenta administrarent, pro tutiori animarum salute, populum in certas propriasque parochias distinguerent, et unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignarent. (Sess. XXIV., de Ref. c. 13.)

32. Hac de re Patres Concilii Plenarii Baltimorensis II. statuerunt: "Quum olim 'jure optimo, ut ait Tridentinum Concilium, distinctae fuerint dioeceses et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant' (Sess. XIV., de Ref. c. 9) optandum omnino esset, ut juxta Ecclesiae universae consuetudinem, parochi proprie dicti, quemadmodum in Catholicis regionibus existunt, in nostrarum quoque provinciarum

ecclesiis constituerentur. Verum ea sunt nostra rerum tempora, quae id fieri nondum patiantur. Patrum tamen hujus Concilii Plenarii mens est, ut paulatim, et quatenus per adjuncta liceat, disciplina nostra hac in re Ecclesiae universae disciplinae conformetur." (No. 123.)

"Volumus igitur, ut per omnes hasce provincias, praesertim majoribus in urbibus ubi plures sunt ecclesiae, districtus quidam, paroeciae instar, descriptis accurate limitibus, unicuique ecclesiae assignetur; ejusque rectori jura parochialia vel quasi-parochialia tribuantur." (No. 124.)

"Parochialis juris, paroeciae, et parochi nomina usurpando, nullatenus intendimus ecclesiae cujuslibet rectori jus, ut ajunt, *inamovibilitatis* tribuere; aut potestatem illam tollere seu ullo modo imminuere, quam ex recepta in his provinciis disciplina habet Episcopus quemvis sacerdotem munere privandi aut alio transferendi. Monemus autem et hortamur ne Episcopi hoc jure suo, nisi graves ob causas et habita meritorum ratione, uti velint." (No. 125.)

33. Ex quo superius Concilium Plenarium celebratum fuit, nostrarum rerum status profecto non adeo est immutatus, ut ad literam servari possint omnia et singula, quae sacris canonibus, et praesertim Concilii Tridentini decretis de instituendis paroeciis sapientissime provisa sunt. Verum ut disciplina nostra hac in re ad normam sanctionum canonicarum in tantum redigatur, in quantum locorum circumstantiae sinunt, haec statuenda censuimus:

In singulis dioecesibus, auctoritate Episcopi, de consultorum suorum consilio seligantur certae missiones quae magis aptae videntur ut paroeciarum instar haberi possint, atque a rectoribus missionariis permanenter institutis seu inamovibilibus sicut in Anglia regantur.[1] Ejus-

[1] Vide Excerpta e Conc. Prov. Westmonast. I., in *Appendice*, p. 230.

modi missio, cui praeficiendus erit rector inamovibilis, omnino instructa esse debet ecclesia congrua, schola pro utroque sexu, domo sacerdotis usui accommodata, et proventibus sufficientibus et satis certis ad sacerdotis, ecclesiae et scholae necessariam sustentationem.

34. Missio cujus Rector semel inamovibilis est constitutus, in posterum semper habebit Rectorem inamovibilem, licet aliqua territorii parte juxta normam in n. 20 descriptam minuatur. Novarum autem paroeciarum ex dismembratione efformatarum rectores non erunt inamovibiles, nisi Episcopi auctoritate tales constituti fuerint. Paroeciae eadem dismembratione efformatae independentes tamen constituentur ab ecclesia matrice.

35. *Pro nunc* instituantur in singulis dioecesibus rectores missionarii inamovibiles tali numero, ut inter omnes dioeceseos rectores missionarios decimus quisque sit inamovibilis, dummodo conditiones requisitae adsint tum ex parte missionis, cum ex parte rectoris eligendi. Quae proportio (unus inter decem) ne inconsulte excedatur intra viginti primos annos post concilium promulgatum. Institutio autem rectorum inamovibilium, ut praescripta, ultra triennium a promulgatione concilii computandum non erit differenda. Inter rectores inamovibiles tamen rector ecclesiae cathedralis non est ponendus; et quando nova dioecesis erigitur, rector ecclesiae quam Episcopus in cathedralem eligit, ipso facto erit amovibilis.

36. Ad conditiones quod spectat, quae ex parte eligendorum ad missiones inamovibilitatis privilegio insignitas requiruntur, ut quis sacerdos ejusmodi missioni praefici valeat, opus erit: I. ut per decem saltem annos in dioecesi sacrum ministerium laudabiliter exercuerit; II. ut intra idem temporis spatium sese habilem probaverit ad parochiam administrandam et in temporalibus et in spiritualibus; III. ut concursum faciat juxta normam

infra statuendam. Inter eos qui hisce conditionibus satisfecerint, electio dignioris relinquitur judicio et conscientiae Episcopi, salva appellatione juxta constitutionem s. m. Benedicti XIV., *Cum illud*,[1] diei 14 Dec. 1742.

37. Volumus tamen, ut Episcopi facultate gaudeant, pro *prima vice*, omisso concursu Rectores inamovibiles designandi quos magis dignos et idoneos coram Deo judicaverint, praehabito consilio Consultorum suorum.

38. Rector missionarius permanenter institutus seu inamovibilis, a sua missione definitive removeri non poterit, nisi ob causam canonicam, et tam in remediis praeventivis quam repressivis servata forma procedendi juxta normam Instructionis S. Congregationis de Propaganda Fide de cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, quae incipit "*Cum Magnopere*," nuperrime ad Episcopos Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis directae.[2]

Causae ob quas rector inamovibilis deponi possit et debeat in jure continentur, et ad eas pertinent generatim omnia delicta in grave discrimen disciplinam ecclesiasticam vel jura sive spiritualia sive temporalia missionis adducentia, quorum reus convictus fuerit. Pro praesenti rerum nostrarum conditione ad has causas nominatim pertinere declarantur sequentes:

I. Inobedientia pertinax in re magni momenti regulis ab Ordinario constitutis sive pro administratione ipsarum etiam temporalium rerum suae missionis, sive pro oneribus dioecesanis sublevandis.

II. Aperta detrectatio mandatorum Ordinarii post repetitas admonitiones ad scholas catholicas sustentandas cum gravi earum damno, vel ad novas erigendas, postquam Ordinarius re mature ponderata declaravit,

[1] Quam vide integram cum aliis hac de re documentis in foliis periodicis *Acta S. Sedis*, vol. VII., p. 353 sqq.; et apud *Lucidi*, l. c., p. 246.

[2] Vide in *Appendice*, p. 287.

considerata missionis conditione, scholas novas erigi posse et debere.

III. Temeraria et post admonitionem repetita susceptio aeris alieni pro ecclesia seu missione, vel pro ipso sacerdote, sine Ordinarii licentia; aut manifesta inobedientia in solvendis debitis contractis.

IV. Collusio cum aedituis laicis ad dandum nomen ecclesiae (*Note*) in agnitionem falsam pecuniae veluti debitae ipsi rectori.

V. Fraudulenta deceptio Ordinarii per deliberatam falsitatem in annua relatione status spiritualis ac temporalis missionis, in re scilicet magni momenti vergente ad grave detrimentum missionis ipsius.

VI. Publica et pedurans infamatio quoad mores sacerdotales, qua cura animarum grave damnum patiatur.

VII. Si quis rector inamovibilis absque sua culpa redditus vel compertus est notaria ratione et permanenter inhabilis ad missionem administrandam, is inducendus est, ut sponte renuntiet. Si vero id recuset et per juris remedium, constituendo ei scilicet vicarium cum congrua pensione (Conc. Trid. Sess. XXI., c. 6 de Ref.; et Bened. XIV., de Syn. Dioec. lib. XIII., c. 9, n. 21; c. 10, n. 16) provideri nequeat, Episcopus, propter speciales missionum nostrarum conditiones, ex gravissima causa legitime demonstrata, poterit etiam sic irrationabiliter invitum amovere. Sive autem amoto sive sponte renuntianti procurabit pensionem, quae ex consultorum consilio congrua censebitur, eique titulum rectoris emeriti conservabit. (Quoad appellationes, vide infra, nn. 286, 316.)

39. Pro gradu quo rectores inamovibilitatis titulo condecorati aliis praeeunt sacerdotibus, eo strictiori filialis obsequii vinculo cum Episcopo constringantur oportet. Ita fiet, ut a Christo, summo animarum Pastore, uberrimas gratias consequantur ad suum tam

grave munus digne ac prospere obeundum, necnon a populo Christiano obedientiam ac observantiam suae auctoritati debitam.

CAPUT VI.

De Concursu.

40. Concilium Tridentinum perpendens, maxime saluti animarum expedire ut Dominici gregis regimen nonnisi dignis atque idoneis parochis concredatur, decrevit in conferendis paroeciis adhibendam esse formam concursus, quo fieret, ut non solum indigni arcerentur, sed digniores eligerentur. Summus Pontifex Benedictus XIV. in Const. *Cum illud* supra n. 36 cit., deinde formam statuit seu methodum pro examine in concursu eligendorum ad ecclesias parochiales servandam. Ut igitur hisce in provinciis, in concursu promovendorum ad missiones inamovibilitatis dote insignitas, methodus adhibeatur, quae hinc, quoad substantialia saltem, ad tramitem memoratae constitutionis sit redacta, inde vero rerum nostrarum statui accommodata, praesens Synodus haec servanda decrevit:

41. Examen seu concursus ad missiones inamovibilitatis privilegio gaudentes institui debet coram Episcopo vel ejus vicario generali a tribus saltem ex dioecesanis examinatoribus loco synodalium vel prosynodalium, constitutis, quos Episcopus designavit. (Conc. Trid., Sess. XXIV., de Ref. c. 18.) Pauciores quam tres adhibere non licebit, nisi tot examinatores ob sacerdotum paucitatem nequaquam haberi possunt.

42. Vacante missione, quae sit per concursum conferenda, Episcopus idoneum vicarium in ea constituat; vacationem exinde annuntiabit clero dioecesis concursum

indicendo; et dies decem assignabit ad concurrentes adscribendos; hunc vero terminum prorogare poterit ad viginti dies. Non ultra autem sex menses ex quo missionem suo rectore orbatam cognoverit, differet novi rectoris nominationem. Opportunum etiam erit, ut Episcopi a S. Pontifice facultatem implorent pro dicto termino dierum decem ad dies triginta prorogando.[1]

43. Ad subeundum examen admittentur tantum sacerdotes fide ac moribus integri, qui per decennium saltem sacrum ministerium laudabiliter exercuerint in dioecesi, et intra idem temporis spatium per tres saltem annos alicujus ecclesiae curam habuerint tanquam simplices rectores, aut aliter specimen dederint suae habilitatis ad missionem administrandam, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Qui igitur admitti cupient, statuto tempore ab Episcopo licentiam petent, cujus erit de eorum admissione judicare.

44. In scientiae periculo subeundo respondendum erit tum voce tum scripto. Quaestiones ab examinatoribus proponendae depromantur e theologicis disciplinis, praesertim e Theologia Morali, Dogmatica et Liturgica Jureque Canonico; nec versentur nisi circa ea quorum scientia ad munus pastorale rite obeundum requiritur; in his etiam ea potissimum deligantur, quorum notitia prompta ac parata semper habeatur oportet, eo quod solutio dilationem communiter non patitur. Singulis etiam assignetur ex catechismo una alteraque quaestio catechetice exponenda, ut uniuscujusque patescat methodus ac peritia in explicanda illustrandaque doctrina Christiana, plane ac lucide et accommodate ad captum parvulorum ac rudium. Proponatur demum textus Evangelii super quo singuli concurrentes concionandi facultatem probaturi scribant. (Const. cit. § 7.)

[1] Vide Decretum de Termino Concursus, *supra*, p. ciii.

45. Quaestiones et casus scripto resolvendi omnibus concurrentibus iidem eodem tempore dictentur; omnibus pariter idem eodem tempore textus Evangelii tradatur; certum demum idemque temporis spatium praefiniatur intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant. (Const. cit. l. c.)

46. Examinatores partes suas religiose agant adeo ut competitori necessaria ignoranti nulla affulgeat spes fore ut idoneitatis testimonium obtineat.

47. In eodem conclavi examinandi omnes congregentur sub praefecti ab Episcopo deputati vigilantia; ad quod conclave ante examinis finem nemini praeter concurrentes et praefectum aditus pateat; nemini examinandorum praeter necessitatis casum exire liceat. (Const. cit. l. c.)

48. In responsis scripto absolvendis Scripturae Sacrae, Concilii Tridentini, Corporis Juris Canonici et Concordantiarum Sacrorum Bibliorum usus permittatur. Aliorum scriptorum vel librorum usum, aut cujuspiam adjutoris operam omnino vetari, ex ipsa rei natura patet. Fraudis reus et convictus ut indignus ab examine repellendus erit. Suas quisque responsiones conscribat et propria manu subscriptas praefecto deputato tradat; quae responsiones subscribantur etiam a cancellario concursus, ab examinatoribus, et ab Ordinario vel ejus vicario.

49. Examini voce peragendo praeter Episcopum aut vicarium generalem tres saltem examinatores interesse debent.

50. Ut autem examinatores valeant aequum ferre judicium, diligenter expendant singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus doctrinae capite proposito, necnon sollertiam in frangendo parvulis pane praebendoque, quibus opus sit, lacte coelestis doctrinae; librent sollicite scripto praesertim datas responsiones;

scrutentur demum attente, quae sit sententiarum gravitas et sermonis aptitudo, perspicuitas et elegantia in conciuncula a quolibet scripto exarata. (Const. cit. § 16, IV.)

51. Verum, in judicio ferendo de idoneitate competitorum, non tantum scientiae habenda est ratio, sed aliarum quoque qualitatum, quae rectoris animarum congruant officio. Probe igitur advertant examinatores, accurato examine sibi inquirendum esse, non solum de concurrentium scientia ac doctrina; sed eandem immo forte majorem conferendam esse industriam in alias perscrutandas dotes animarum regimini consentaneas. Ne igitur gravi suo muneri desint, literarum peritiae scrutinio minime neglecto, diligenter inquirant de ceteris qualitatibus regendae ecclesiae necessariis; de aetate scilicet, de anteactae vitae ratione, muniis antea exercitis, gravitate et honestate morum, prudentia, temporalium rerum administrandarum peritia, obsequiis Ecclesiae hactenus praestitis; qui demum tales sint, ut oves suas verbo et exemplo pascere queant. (Const. cit. passim.) De his rebus notitia depromenda erit ex probationibus, attestationibus, aliisque id genus adminiculis, quae fraude vacent, intraque terminum ab Episcopo assignandum exhibeantur. (Const. cit. § 16, II.) Quibus omnibus conjunctim ponderatis, inhabiles et indignos per sua suffragia rejiciant, idoneos autem Episcopo renuntient.

52. Examinatoribus tantummodo competit facultas renuntiandi quotquot regendae ecclesiae vacanti idoneos judicaverint, reservato uni Episcopo jure eligendi inter sic idoneos repertos, quem ipse digniorem in Domino censuerit. Non igitur pertinet ad examinatores judicare, qui magis idoneus sit; poterit tamen Episcopus, si velit, antequam digniorem ex approbatis seligat, quo cautius agat, examinatorum consilium exquirere. (Bened. XIV., de Syn. dioec., lib. IV., c. 8, n. 6.)

Norint etiam examinatores, in relatione Episcopo facienda non satis esse, si de eo tantum referant, qui ipsis magis idoneus videatur; tenentur enim renuntiare quotquot idonei judicati fuerint. (Ibid., l. c., n. 3.)

53. Examinatores sua suffragia ferre debent, priusquam a loco examinis discedant et ab Episcopo ejusve vicario sejungantur. Nihil refert utrum suffragia secreto vel palam ferantur; congruentius tamen videtur, ut examinatores inter se suffragia communicent, quo ad acta referri possit, qui approbati, qui reprobati fuerint. (Ibid., l. c., n. 4.)

54. "In hoc examinatorum judicio nullae sunt partes Episcopi vel vicarii, qui Episcopi loco examini assistat, nisi forte examinatorum vota sint paria aut singularia: tunc enim integrum erit Episcopo vel vicario cui voluerit accedere, juxta Tridentinum. (Sess. XXIV., c. 18 de Ref.) * * * * At, sicuti ab examinatoribus suffragia ferenda sunt statim peracto examine, ita etiam in eventu quod Episcopus aut ejus vicarius alicui accedere possit, coram iisdem examinatoribus explicare debet cuinam accedat, cum id pertineat ad examinis complementum." (Ibid., l. c., n. 5.)

55. Prolato ab examinatoribus judicio, missio uni ex approbatis erit conferenda. (Ibid., l. c., n. 6.)

56. Quum contingere possit ut Episcopo tanquam in specula constituto subditorum pateant excessus examinatoribus ignoti, integrum ei erit, propter morum defectum, competitorem, quem examinatores hujusmodi labis ignari moribus quoque idoneum renuntiaverint, praeterire, aliumque immunem a sorde praeeligere. (Const. cit. § 14.)

57. Praedictum examen, salva Episcoporum facultate pro prima vice rectores inamovibiles instituendi absque concursu, in posterum ab omnibus aspirantibus ad missionem inamovibilitatis privilegio condecoratam sub-

eundum erit, nisi in casu quo Ordinarius, audita examinatorum sententia, quempiam eximendum censuerit, de cujus scientia, propter muneris, quo fungitur, dignitatem vel propter diuturnam operam, qua Ecclesiae cum laude servierit, abundans testimonium habeat.

58. In casu ecclesiarum, quarum cura familiae vel societati religiosorum commissa est, non adhibetur concursus, relicta Episcopo facultate eos, si velit, examinandi.

59. Si ob dioecesium extensionem et distantiam locorum, aut alia peculiaria obstacula, nonnisi difficulter fieri possit, ut quoties ecclesia per concursum conferenda vacare contigerit, toties ad illam adspirantes in unum locum conveniant, licebit examen de doctrina separare ab examine de ceteris canonicis requisitis, ea ratione, ut semel in anno, statuto tempore, examen generale de scientia pro missionibus in futurum vacaturis, juxta formam supra statutam, instituatur ad explorandam scientiam eorum qui ad rectorum inamovibilium munus adspirant; ceterae vero dotes (n. 51) expendantur ab examinatoribus quando ecclesia vacans conferenda sit. Qui in ejusmodi doctrinae tentamine praevio approbati fuerint, ad obtinendum quemcunque rectoratum inamovibilem intra sex proximos annos vacaturum quoad scientiam habiles censebuntur. Elapso vero sexennio, examini denuo se sistere tenebuntur, si missioni inamovibilitatis privilegio insignitae praefici velint.[1]

CAPUT VII.

De Clero Dioecesano.

§ 1. *De Ordinandorum Dioecesi.*

60. Quo magis hierarchiae ecclesiasticae in recta membrorum dispositione ordo eluceret, atque abundan-

[1] Vide Instr. S. C. de P. F. de Concursu, in *Appendice*, p. 203.

tiores ex ordinato sacri ministerii exercitio fructus colligerentur, "jure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae, et unicuique gregi proprii attributi pastores, et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant," (Conc. Trid., Sess. XIV., de Ref. c. 9.) ceterisque omnibus ad sacros ordines evectis assignata sua loca et officia, ita ut ex innumerabilibus Ecclesiae sacris ministris ne unus extra ordinatum cleri coetum "incertis sedibus vagetur." (Ibid., Sess. XXIII., c. 16.) Hoc praetera fine statutum est, ut quicumque ad sacra ministeria in dioecesi obeunda ab Episcopo proprio, vel cum ejus licentia ab alieno, sive ad titulum missionis, sive ad alium titulum ordinantur, eo ipso huic dioecesi adscripti sint. Hinc et Concilium Provinciale Baltimorense I., n. 2, statuit, et Concilium Plenarium Baltimorense II. confirmavit: "quemlibet sacerdotem qui pro quacumque hujus provinciae dioecesi ordinatus fuerit, teneri vi promissionis in ordinatione factae ad permanendum in eadem dioecesi, et ad se subjiciendum praesuli suo, usquedum canonice dismissus fuerit." Hoc decretum, S. Congregatio de Propaganda Fide (Instr. 16 Oct. 1830.) iis consentaneum declaravit, quae Benedictus XIV. eadem de re docuerat.

61. Imo vero, ii omnes, qui titulo missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, juxta repetitas S. Congregationis declarationes, prius juramentum emittere tenentur, quo spondeant, quod in sua dioecesi perpetuo in divinis administrandis laborem suum et operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impensuri sint. (Instr. S. C. de P. F., 17 Apr. 1871, n. 8.[1]) Unde, qui hoc titulo ordinati sunt, quod in nostris regionibus communiter fit, tam arcto vinculo suae dioecesi obligantur, ut ne ab Episcopo quidem absolvi possint, sed Sanctae

[1] Vide in *Appendice*, p. 204.

Sedis dispensatione opus sit, non illi tantum, qui ad aliam dioecesim cui incorporetur transire velit,[1] sed etiam cui sacram religionem ingredi desiderium sit. (Ibid. n. 10.)

§ 2. *De Sacerdotum Incardinatione.*

62. Cum varias ob causas quandoque fieri soleat, ut sacerdos uni dioecesi vi ordinationis adscriptus ad aliam transire cupiat, vel sacerdos regularis ab ordinis sui vinculo solutus, clero saeculari adscribi petat, visum est Nobis certum modum definire, quo in hisce nostris provinciis sacerdos alienus clero dioecesano incorporari debeat. Duplicem itaque statuimus incorporationem, vel ut appellari solet, incardinationem, formalem scilicet et praesumptam.

63. Formalem declaramus eam esse, quae per actum Episcopi documento signatum efficitur, qui sacerdotem alienae dioecesis, dummodo utique literas commendatitias et excardinationis a suo Episcopo afferat atque exhibeat, in clerum suum adscribit. Haec tamen adscriptio non statim facienda est, cum quis admitti in aliquam dioecesim postulat, quocumque titulo ordinatus fuerit, sed Episcopus eum inter triennii spatium in ministeriis sacris exercendo ad tempus probabit, exquirendo interim peculiares informationes ab Ordinario, a quo fuerat dimissus. Exigere tamen poterit experimentum ultra triennium, sed non ultra quinquennium, quo in casu Episcopus hoc suum propositum ulterioris probationis sacerdoti in scriptis significare debet, antequam triennium expiret. Priusquam vero triennale vel quinquennale experimentum absolvatur, si illum idoneum reperiat, expresso decreto dioecesi adscribat; idque Episcopo, cui ille proxime subditus fuit, significet. Ex communi vero consilio et consensu utriusque Episcopi atque ipsius

[1] Vide tamen decretum S. C. *supra*, p. civ.

sacerdotis, poterit is ex propria dioecesi excorporari et in alteram incorporari absolute et immediate, praetermisso probationis tempore.

64. Si de sacerdote agatur, qui ordinatus est titulo missionis, Episcopus sex mensibus antequam illum absolute dioecesi adscribat, supplices ejus preces S. Congregationi de Propaganda Fide commendet, ut haec a juramento quo adhuc obstrictus est, illum dispenset.[1] Qua dispensatione obtenta, Episcopus novum ab eo juramentum in favorem suae dioecesis recipiat (Conc. Prov. Balt. VIII., decr. III.), illiusque formulam a sacerdote subscriptam in tabulario episcopalis curiae servandam mandet. Episcopum vero, a quo sacerdos discessit, de receptione a se facta moneat.

65. Quod vero pertinet ad sacerdotes religiosos, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur; vel qui ediderunt vota simplicia et a suis Congregationibus seu institutis egressi sunt (nisi qui a votis rite soluti jam in presbyterorum saecularium conditione versantur), si ad Episcopum accedant petantque in ejus dioecesim adscribi, primo quidem tantum ad missae celebrationem, dummodo literas saecularizationis ac commendatitias Ordinarii loci a quo discesserunt exhibeant, admitti possunt, nondum vero ad triennale experimentum in ministerio pastorali. Volumus enim, ut ad hanc probationem in ministeriis hujusmodi subeundam non admittantur, antequam Episcopus, exquisitis ab Ordinis vel Instituti superioribus et Episcopo commendante secretis informationibus, iisque ad S. Congregationem remissis, hujus veniam sciscitatus sit; qua obtenta, peractoque experimento, ii qui non ad tempus, sed in perpetuum S. Congregationis Episcoporum et Regularium rescripto saecularizati sunt, clero dioecesano incardinari possunt,

[1] Lege *supra*, p. civ., quae novissime de hoc juramento a S. Sede statuta sunt.

dummodo prius de titulo canonico sibi providerint. Quod si assumunt titulum missionis, simul juramentum dioecesi perpetuo inserviendi praestare tenentur. (Instr. S. C. cit., n. 12.)

66. Praesumptam incardinationem haberi declaramus, si Episcopus elapso triennio vel respectivo quinquennio probationis, actum adscriptionis formalem omiserit. Qui enim eo elapso tempore, clericum qui dioecesi adscribi petierat, nec formaliter admittit nec admittere plane diserteque recusat, jure praesumitur adscripsisse. Quod quidem valet etiam pro ordinatis titulo missionis, quo in casu juramentum praestitum in aliena dioecesi, censetur pro nova esse servandum. Idem valet de regularibus modo quo dictum est saecularizatis, qui consentiente S. Congregatione ad experimentum admissi sunt. Isti enim in hoc casu dioecesi titulo missionis (nisi de alio titulo canonico sibi providerint) adscripti esse praesumuntur, iisdemque tenentur obligationibus ac si juramentum praescriptum revera emisissent.[1]

67. Declaramus porro sacerdotem, sive ad nostras provincias pertineat, sive ex Europa aliundeve advenerit, etsi a proprio suo Episcopo literas excorporationis (*Exeat*) jamjam obtinuerit, a vinculo communionis et subjectionis erga ipsum solutum haberi non posse, donec alteri dioecesi vel formaliter vel praesumptive adscriptus sit; simulque, si de formali adscriptione agatur, Episcopus proprius de ea peracta authenticum monitum acceperit. Ejus enim jurisdictio in sacerdotem tantum cessat post hanc monitionem. Itaque declaramus literas dimissoriales quantumvis dimissionem seu excardinationem plenam et absolutam enuntiare videantur, sensu exposito intelligendas esse, "ne ovis quasi perdita et errans inveniatur." (C. 1, dist. 72.) Simul decernimus quod, sicut nullus sacerdos exterus in dioecesim adscribendus

[1] Vide Dubia de Ordinatis Titulo Missionis, in *Appendice*, p. 209.

est, priusquam literas dimissoriales proprii Episcopi rite confectas Ordinario loci exhibuerit, ita neque has literas ulli sacerdoti a suo Episcopo dandas esse, nisi certo constet, eum ab alio Episcopo in dioecesim fore admittendum. (Instr. S. C. de P. F., 31 Jan. 1866. Conc. Plen. Balt. II. No. 122.)[1]

68. Commendamus, ut omnes harum provinciarum Episcopi iisdem formulis literarum excorporationis et incardinationis, imo et sacrae ordinationis, typis impressis, utantur, quo major in hac summi momenti disciplina uniformitas habeatur.

69. Quae de sacerdotum excorporatione, et in aliam dioecesim adscriptione sive formali sive praesumpta definivimus, nullatenus obstant consuetudini, juxta quam Episcopi sacerdotes, si qui in sua dioecesi satis abundent, egentioribus dioecesibus ad auxilium in cura animarum ferendum pro longiori etiam tempore concedunt. Quem morem, uti zeli Apostolici indicium, S. Sedes commendavit. (Instr. S. C. C. ad Conv. Epp. Prov. Mediol. 1849.)

§ 3. *De Sacerdotibus Infirmis.*

70. "Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina." (I. Tim. v., 17.) Apostolica verba de iis quam maxime intelligenda sunt presbyteris, qui diuturno in vinea Domini ministerio vel operoso vocationis sacrae labore exhausti, aut gravi inter labores morbo confracti, muneribus Apostolicis inter populum fidelem obeundis impares redduntur. Singulari quo infirmos istos confratres prosequimur amore ac veneratione commoti, summopere desideramus optima qua fieri possit ratione providere, ne inopiae afflictione urgeantur, neque adhuc temporali sollicitudine premantur; sed ea cuncta prae-

[1] Vide Responsum de Literis commendatitiis, in *Appendice*, p. 211.

stare, quibus senectuti solamen afferatur vel morbo citius releventur.

71. Statuimus igitur ac decernimus, ut in singulis nostris dioecesibus Episcopi, inito prius cum clero suo consilio, quamprimum constituant modos mediaque opportuna, quibus subsidia ad decentem illorum sacerdotum sustentationem elargienda praesto habeantur. Quem in finem ab Episcopo aerarium vel gaza instituatur, imposita taxa singulis paroeciis, quae opportuna videbitur. Huic pecuniae juxta normas clare definitas administrandae commissio presbyterorum, ipso Episcopo praeside, praeponatur.

Si quis vero Episcopus, ob frequentes ad populum de pecunia appellationes, hanc novam taxam imponendam non esse judicaverit, ab aequitatis ac justitiae tramite alienum non erit, taxam annuam ipsismet dioecesis sacerdotibus imponere, qua singuli pro rata salarii pecuniam contribuant.

Modus alius praedictae necessitati prospiciendi in eo est, ut societas mutui subsidii inter presbyteros constituatur, quae societas aerarii seu pecuniae congestae administrationem, item Episcopo praeside, curabit. Huic societati unusquisque sacerdos dioecesi adscriptus nomen dare urgeatur.

§ 4. *De Sacerdotibus Lapsis.*

72. Ex lugenda nimis humanae naturae fragilitate, necnon Satanae tentatione, qua maxime Salvatoris ministros semper expetivit, ut eos quasi triticum cribraret, quandoque fit, proh dolor! ut in eo qui ad sacerdotalem dignitatem evectus fuit, ea vitae conversatio inveniatur, quae vel status sanctitati ac muneris fructuoso ministerio, vel obedientiae debitae et recti ordinis rationi, plane contraria sit. Unde, ne qui fideles in Christi Ecclesiam aedificare deberet, eis lapis scandali sit in destructionem,

Episcopo, si jam alia media aberrantem ad vitae meliorem frugem revocandi frustra tentaverit, ea sane durissima necessitas occurrit, ut talem ministrum ab officiis sacris exercendis suspensionis vel alius spiritualis poenae gladio arceat. Tristissima profectò, ac periculi plenissima hujuscemodi sacerdotis conditio est, praesertim ex peculiaribus hujus regionis circumstantiis, ita ut in spirituali ac temporali sua egestate, filio prodigo, cujus Evangelium meminit, vere comparari possit. At non minus verum est, eodem Nos ac patrem, de quo sacra parabola, parentalis amoris ac piae commiserationis effectu filios nostros aberrantes prosequi. Semper enim sumus parati eosdem, dummodo de insipientia sua dolentes cordique patris confidentes in domum paternam redeant, brachiis apertis recipere, eisque jura fratris junioris restaurare, gaudentes quod filius qui mortuus erat revixerit, et qui perierat inventus sit. (Luc. xv. 24.)

Quamvis itaque sacerdotes, qui ob suam culpam a sacris arcentur functionibus, non possint titulo justitiae ab Episcopo exigere, ut eorum temporali necessitati provideat (Conc. Plen. Balt. II., No. 77); qui enim titulo missionis ordinantur ex missione sustententur, ita ut ii solum qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edant; et qui altari deserviunt, cum altari participent; et qui Evangelium enuntiant, de Evangelio vivant (I. Cor. IX. 13, 14); attamen, quo efficacius aberrantes in semitam rectam reducantur, enixe commendamus ex S. Congregationis de Propaganda Fide consulto, ut domus quaedam a religiosis viris regendae instituantur, ubi sacerdotes lapsi, qui spem fundatam conversionis exhibent, pro tempore ab Episcopo statuendo, vitam degant. Ubi vero id propter rerum adversas conditiones adhuc fieri nequit, Episcopis onus imponimus pro viribus satagere, ut tales sacerdotes in aliquas domos religiosas seu monasteria recipiantur. Qua vero methodo pecunia

pro sacerdotis sustentatione, sive in priori sive in altero casu requisita, colligenda sit, id Episcoporum in synodo sive provinciali sive dioecesana congregatorum sententiae relinquendum esse censemus.

73. Laetissimo certe animo audivimus, literis ab Illmo. Delegato Apostolico ad plures Ordinum Religiosorum Superiores missis fausta responsa data esse, quibus paratos se praebent ad recipiendos ad tempus in domos suas sacerdotes, quos Episcopi reformationis causa mittere velint. Gratias pro tanto favore debemus Rmis. Abbatibus Cisterciensibus B. Mariae de Trappa in Gethsemani, et in Tracadie, Nova Scotia, necnon Adm. Rev. Priori Abbatiae Neo-Melleray, ejusdem ordinis; tum Rmo. Abbati O. S. B. apud S. Joannem in Minnesota; necnon Adm. Rev. Priori O. S. B. prope civitatem Erie; tum Adm. Rev. Provinciali C. P. in Hoboken, N-Caes.; Adm. Rev. Provinciali O. S. F., S. Ludovici; necnon Ven. Provinciali Fratrum Alexianorum in Chicago; maxime vero Rmo. Archi-Abbati Bonifacio Wimmer, O. S. B., apud S. Vincentium, qui ut in praecedenti Concilio Plenario aliasque ita et nunc paratum se exhibet, certis servatis conditionibus, domum huic speciali fini destinatam, ad quam sacerdotes miserandi confugere possint, erigere ac administrare.

Maximum hoc nostrae sollicitudinis negotium absolvere non possumus, quin omnes nostrarum provinciarum Religiosos virorum ordines toto cordis affectu iterum imploremus, ut omne quod valent auxilium in hoc caritatis sacerdotalis opere Nobis praestent, pro majori Dei et Ecclesiae Matris honore.

CAPUT VIII.

De Vita et Honestate Clericorum.

74. Inter praeclara monita a Patribus Concilii Plenarii superioris omnibus istarum provinciarum clericis proposita non ultimum tenent locum quae in capite sexto de vita et honestate clericorum tractant. Quae ibidem saluberrima praedicantur, de novo confirmamus totique nostro clero ut ea saepe saepiusque animo profunde recolant serio commendamus. Interim quaedam clericis aut facienda aut fugienda hic specialiter indicabimus, prout ea nostri conditio temporis magis opportune monenda demonstrat.

75. Quanta sit exercitiorum spiritualium utilitas Pius IX. fel. rec., hisce verbis Episcopos monet: "Cum vobis compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere; pro Episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in justitia et sanctitate." (Encycl. *Qui pluribus*, d. 9 Nov. 1846.) Statuimus itaque ut Episcopi clerum suarum dioecesium quotannis vel saltem singulis bienniis in sacrum istum secessum ducant, ut omnes mente cordeque renovati et ampliores adepti gratias divinas, ad munus sacri ministerii fructuosius peragendum redeant.

76. Zeli apostolici ac virtutum sacerdotalium pietatisque socia sit oportet sacra scientia. Omne quod persolutis laudibus divinis et sacri muneris officiis superest tempus ad literarum studia conferant. (Conc. Plen. Balt. II., No. 167.) At plane Nos latet, qua ratione huic gravissimae obligationi ii clerici satisfaciant, qui omne fere otium legendis ephemeridibus et diariis, romanensibus aliisque nugatoriis libellis impendunt. (Ibid., No. 463.) His profecto non hauritur sacra illa et sublimis scientia quae omnino decet verbi divini doctorem. Hanc igitur sibi comparent, in hac amplianda continuo laborent; haec in dies augeatur, floreat et crescat Christi ministrorum scientia, qua largiores sibi hauriant thesauros Sacrarum Scripturarum, eamque mysteriorum divinorum fructuosissimam intelligentiam assequantur, quam Deus rationi, quae fide praelucente sedulo, pie et sobrie quaerit, non denegat. (C. Vatic., Const. I., c. IV.)

Morum disciplinae tam supernaturalis quam naturalis regulis ac principiis indagandis vacare ne omittant, qua et clarius perspiciant Christianae virtutis excellentiam ac pulchritudinem, et artium artem, nempe regimen animarum pro vocationis suae munere addiscant.

Studeant sanae philosophiae. Recta enim et exculta ratio non solum fidei fundamenta demonstrat ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolit, sed et impiam falsi nominis scientiam proscribit, erroneas conclusiones detegit, opiniones fidei contrarias, quae fallacem veritatis specimen prae se ferunt, subvertit et refutat. (Conc. Vat. l. c.) Recogitent sacerdotes et clerici omnes gravissima monita Summi Pontificis fel. reg.: "Revera fidei Catholicae defensio," ita Leo XIII., "in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem sed exquisitam et variam; quae non modo sacras, sed etiam philosophi-

cas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singula Christianae sapientiae fundamenta convellentium; luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere conquirunt." (Lit. Encycl. ad Epp. Italiae, 15 Febr. 1882.)

77. Ecclesia praescribit oportere clericum vestes proprio suo statui congruentes semper deferre. Decentia namque habitus externi ostendat oportet internam morum honestatem. Praeterea habitus clericorum peculiaris gerentibus non solum reverentiam celsae status dignitati debitam conciliat, sed ipsismet perpetuo status sanctitatem in mentem revocat et a plurimis quae minus clericum decent, arcet et avocat. Volumus itaque et praecipimus, ut omnes Ecclesiae legem servent, domique agentes vel in templo veste talari, quae clerico propria est, semper utantur. Cum foras prodeunt muneris vel animi recreandi causa vel in itinere, breviori quadam veste indui licet, quae tamen nigri coloris sit et ad genua producatur, ita ut a laicis distingui possint. Elegantiores vestium formas et mundanas quae novae in dies inveniuntur respuant. (Conc. Plen. Balt. II., No. 148.) Stricto praecepto sacerdotibus nostris injungimus, ut tam domi quam foris, sive in propria dioecesi degant sive extra eam, collare quod romanum vocatur gerant. Et quia ratio legis ecclesiasticae de vestitu clericorum non minus valet de regularibus quam saecularibus, sacerdotes quoque regulares tenentur lege utendi vel collari romano vel vestitu idoneo ad distinguendum clericos a laicis, quotiescumque seposito habitu sui ordinis proprio foras prodeunt.

78. "Sacerdotis domus ita comparata sit, ut luxu mundano profanoque ornatu remotis, omnia pietatem, ordinem, simplicemque munditiem spirent, et Crucifixi

Salvatoris ministrum illic habitare proclament." (Conc. Prov. Halifax. I., c. XVIII., n. 7.)

79. Celebre inter SS. Patres axioma habet, multa quae fidelibus licent clericos dedecere. Itaque ut ecclesiastico ordini honor suus et decus servetur, mandamus ut sacerdotes a publicis equorum prorsus abstineant cursibus, a theatris et spectaculis.

80. Monent Patres Concilii superioris, ut clerici omni studio caveant, "ne corda eorum et conscientiae graventur crapula et ebrietate. Ebrietatem Chrysologus vocat 'in alio crimen, in sacerdote sacrilegium; quam ne auditu quidem attingere debet, ne, qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat et inveniatur exemplum.' Et sane fieri omnino nequit, ut sacerdos huic vitio deditus officii sui sacra munera exequatur; quemadmodum ait Isaias: 'Sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.' Hinc eam non solum quasi 'fomentum libidinis et incentivum insaniae,' sed etiam tanquam 'venenum sapientiae' damnat Ambrosius. 'A crapula et ebrietate' statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III., 'omnes clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent et se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium et libidinis provocet incentivum.'" (No. 161.) "Ut flagitii occasionem, quae in cauponis et tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu et usu eis omnino interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa." (No. 162.)

81. Quia satis non est nullum in clero admittere crimen, sed vel levissimam criminis suspicionem procul arcere omnino oportet, Episcopos in Domino monemus, ut decreti Praedecessorum Nostrorum de clericorum cum mulieribus consortio executioni sedulo firmiterque invigilent. "Volumus igitur imprimis, ut saecularium mulie-

rum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate nimia ne utatur (sacerdos); neque eas, licet propinqua cognatione conjunctas, in eadem secum domo commorari sinat, nisi fuerint vita et moribus spectatissimae, quaeque nullo modo, sive directo, sive indirecto, se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiae administrandis immisceant. Oeconomam, ancillam, aliamve famulam nullam habeat, nisi quae sit maturioris aetatis, famaque integerrima gaudeat. Nunquam coram illis aut propinquis, si quas apud se habeat, de gregis regimine, de ecclesiae negotiis, de parochianorum vitiis aut defectibus verba faciat." (No. 164.) Praetera, ad multiplicis generis incommoda vitanda, Nostra facimus verba Patrum Concilii Plen. Hibernici apud Maynutiam, scil., "nullus parochus * * retineat in domo sua familias affinium aut consanguineorum. Quodsi in eadem domo cum parocho habitent ejus coadjutores, * * volumus ut parochi in praedicta domo nullo modo consanguineas vel affines juniores retineant, nisi permittente Ordinario." (No. 126.)

82. "Nos attendentes," verbis utimur Benedicti XIV., "quod clericus qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, coelestia despicere et pro nihilo putare convincitur, * * * ad exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico coetu eliminandam, et ut sancto Ecclesiae famulatui addicti ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes, studeant bene agere et divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futuro; * * * insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocumque mundanarum curarum onere et humanarum cupiditatum impedimento, Christum Dominum, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius et expeditius sequantur, memores salutaris illius B. Apostoli moniti, qui clamat et dicit: nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit,"

(Const. *Apostolicae servitutis*, d. 25 Febr. 1740,) sacrorum Canonum praecepta de illicita clericorum negotiatione ab omnibus stricte servanda esse declaramus. Prohibemus itaque et interdicimus "ne rerum bonorumve quorumlibet aut pecuniae mercaturam faciant; ne quaestuosas suo nomine, vel sub alieni nominis involucro negotiationes exerceant; ne aliena praedia lucri causa conducant; ne pro aliis fide jubeant; ne aliorum in negotiis procuratores, inconsulto Episcopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, praeterquam suorum, nisi Episcopo consentiente, suscipiant." (Conc. Plen. Balt. II., No. 157. Cfr. Resp. S. Officii, 4 Dec. 1872.) Medicinam et chirurgiam nec lucri gratia nec caritatis specie exerceant. Qua in re tam clero universo quam personis quibuscumque votis religiosis obstrictis caute servanda praecipimus ea, quae constitutionibus Apostolicis statuta a Benedicto XIV., de Syn. Dioec., l. XIII., c. 10 traduntur. (Ibid., No. 153.)

83. Saluberrima Patrum Baltimorensium (Conc. Prov. IX., litt. pastor.) monita de rebus politicis a clero arcendis, nostris praesertim diebus iterum iterumque urgenda censemus. "Clerus noster" ita loquuntur, "prudenter cavit, ne se omnino fidelium judiciis interponeret; quae quidem in omnibus quaestionibus, quae ad civilem socialemque rationem pertinent, intra fines doctrinae et legis christianae, libera esse oportet. Vos igitur, venerabiles fratres, hortamur, ut eandem persequamini viam, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. * * * Relinquite mundanis curas et sollicitudines civilium factionum, contentiones potestatis, delusae ambitionis aegritudines. Videte ne ullo pacto res sanctae fidei nostrae ad cujusquam factionis fortunam applicetis." Itaque a discutiendis publice rebus politicis aut mere saecularibus, tum extra ecclesiam tum multo magis in ipsa, sacerdotes sedulo abstineant. Quae tamen ita intelligenda non sunt, quasi omnino silendum esset de

gravissima obligatione, qua cives tenentur etiam in rebus publicis semper et ubique juxta conscientiae dictamen, coram Deo, pro majori bono tum religionis tum reipublicae patriaeque suae adlaborare.

84. Cum grave plerumque fidelibus oriatur scandalum et ecclesiastico ordini dedecus, dum personae ecclesiasticae ad civilia tribunalia trahuntur, hortamur sacerdotes nostros, "ubi cum homine etiam saeculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat." (Conc. Plen. Balt. II., No. 155.) Omnino vetamus, ne contra laicum de pecunia pro sedium locatione vel alia de causa ecclesiae debita coram tribunali civili agant, nisi accepta prius in scriptis Episcopi licentia. Ad tuendam porro immunitatem ecclesiasticam, quatenus inter nos fieri potest, districte iisdem prohibemus, ne contra sacerdotem vel clericum de rebus etiam temporalibus coram judice civili litem intentent sine permissione scripto expressa ipsius Episcopi, cujus erit in omnibus hujusmodi casibus litem, quantum fieri potest, amice componere, re etiam, si opus sit, ad consultores vel aedituos delata. In rebus vero ecclesiasticis, ex ipsa divina Ecclesiae constitutione, judicium non pertinet nisi ad jurisdictionem ecclesiasticam. Memores denique sint omnes excommunicationis speciali modo Romano Pontifici reservatae, quam ipso facto incurrunt "impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes." (Const. Pii IX., *Apostolicae Sedis*, 12 Oct. 1869, art. I., n. 6.)

CAPUT IX.

De Regularibus.

85. "Quum summopere optemus," sunt verba Pii IX. s. m., ad supremos moderatores ordinum regularium, "ut omnes qui militant in castris Domini unanimes uno ore honorificent Deum, ac perfecti in eodem sensu atque sententia, solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, a vobis etiam atque etiam efflagitamus ut arctissimo concordiae et caritatis foedere summaque animorum consensione Venerabilibus Fratribus Episcopis et saeculari clero conjuncti, nihil antiquius habeatis quam in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, consociatis studiis vires omnes intendere, atque aemulari semper charismata meliora. Quum enim una sit regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides et unum Baptisma, decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti." (Ep. Encycl. *Ubi Primum*, 16 Junii 1847.)

86. Gaudenti et grato animo testamur et alte proclamamus, sanctam hanc concordiam, pia omnium moderatione ac temperantia, hactenus in hac qua late patet regione illaesam servatam fuisse inter clerum saecularem et plures illos ac benedictione divina crescentes ordines religiosos, tam egregie laborantes pro ecclesiis nostris in ministerio animarum et in juventutis educatione; atque fraternum hoc foedus ac voluntatum consensionem perpetuam fore merito confidimus ac praesagimus. Ne tamen, quod Deus avertat, pax isthaec unquam humana

fragilitate turbetur, haud parum opportunum fore arbitramur, si constitutio sapientissima *Romanos Pontifices* recenter a SS. D. N. Leone XIII. pro Anglia et Scotia edita,[1] ad has etiam provincias extendatur. Id autem se rogantibus Nobis libenter praestituram significavit jam Sedes Apostolica.[2]

87. Tria autem decernit haec constitutio circa relationes regularium cum Episcoporum auctoritate. Primo quidem explicat et decernit ea quae pertinent ad familiarum religiosarum exemptionem ab Episcopali jurisdictione; dehinc ea quae ministeria respiciunt, quae a regularibus missionariis exercentur, ac demum quaestiones de bonis temporalibus regularium, deque usu in quem illa oportet converti.

88. Ad regularium exemptionem quod attinet, declarat constitutio: "Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeterquam in casibus a jure nominatim expressis, et generatim in iis, quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem." Propter quas exceptiones, ut consequenter deducit Pontifex, cleri collationibus adesse debent omnes ex regularibus missionum rectores, vicarii quoque et generatim alii religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi. Ad synodum pariter dioecesanam: "exempti omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur," maxime qui curam gerunt "parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam adnexarum," atque decretis synodalibus pareant oportet "in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur, ceterisque in rebus,

[1] Vide in *Appendice*, p. 212. Celeberrimam Bened. XIV. Const. *Firmandis* super eadem re lege ap. *Lucidi*, l. c., p. 388.

[2] Vide Decretum Extensionis, *supra*, p. cv.

in quibus eos Episcoporum jurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta." Ab Episcopi interpretatione decretorum synodalium licet ipsis appellare *in devolutivo* tantum quoad decreta quae de jure communi sive ordinario sive delegato regulares etiam afficiunt; quoad reliqua vero decreta *in suspensivo.*

89. Quod deinde ministeria spectat per regulares exercita, edicit constitutio "licere Episcopis (eorum) missiones dividere" "ad formam Synodi I. Provincialis Westmonasteriensis"[1] audito tamen ordinis praefecto et salvo jure appellandi *in devolutivo;* atque Episcopo liberum esse novae missioni praeficere quem maluerit sacerdotem, sive saecularem sive regularem. Decernit etiam Summus Pontifex quaenam coemeteria et pia loca intra fines missionum regularibus commissarum sita, Episcopi visitationi sint subjecta, declaratque Episcopos jus habere quoad omnia visitandi scholas parochiales in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus, ac demum, firmis remanentibus privilegiis regularium quoad ceteras jam erectas scholas et collegia, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta juventuti catholicae erudiendae operam dare solent, "sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere."

90. Denique tertio loco de temporalibus missionum bonis haec decernit constitutio: "I. Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. II. Eorum tamen bonorum quae missioni vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, Episcopi jus habent ab iisdem missionariis regularibus aeque ac a parochis cleri saecularis rationem exigendi." Atque juxta leges West-

[1] Vide in *Appendice*, p. 230.

monasteriensis Synodi II.[1] definit quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum sint intelligendae, simul indicans Episcopis inesse potestatem imperandi pecuniae collationes, decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat.

91. Si, non obstantibus aequissimis hujus constitutionis dispositionibus, inter Episcopos ac regulares adhuc orientur difficultates aut controversiae, vel si quae generatim quoad regulares utriusque sexus inordinata praesules animadverterent, res ab his referenda esset ad Emum. Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide, qui cum eorum superioribus negotium tractabit ac terminabit.

92. Similiter ad eumdem Emum. Praefectum recurrant Episcopi quando agitur de institutis, quae votis quidem simplicibus tantum obligantur, sed quae non sunt dioecesana, quum propriis regantur constitutionibus a S. Sede approbatis, atque a suo superiore generali, salvis juribus et privilegiis Episcoporum, dependentiam habeant.

93. Instituta vero dioecesana quorum constitutiones ab Ordinario tantum approbatae sunt, licet regulam a S. Sede approbatam sequantur, dependent ab Ordinario, cujus est ea regere, corrigere ac reformare, salvo semper fine ad quem hujusmodi instituta sunt in sua fundatione ordinata, et ad quem constitutionibus ab Ordinario primitus approbatis diriguntur. Quod si, ut non raro fit, hujusmodi instituta etiam in aliis dioecesibus praemissa conventione inter Episcopum dioecesis, in qua sita est domus principalis, et Ordinarium novae erectionis, necnon et Superiorem vel Superiorissam, domos aperuerint adhuc ipsis subordinatas, tunc hae communitates filiales, ipsius conventionis vi, quoad internum regimen et administrationem maneant sub obedientia Superioris vel Superiorissae conventus primarii, sed ita ut subjectae

[1] Vide in *Appendice*, p. 231.

sint plenae jurisdictioni Ordinarii loci in quo sunt erectae.

Quoad vota vero ad tempus in his dioecesanis, de quibus agitur, institutis emissa, Episcopi facultate ordinaria, quoad vota perpetua autem (ratione voti perpetuae castitatis S. Sedi reservati) nonnisi potestate delegata, quae continetur in facultatibus S. Congr. de Prop. Fide concedi solitis, Form. I., n. 4, dispensare possunt, si ipsi graves rationes ita exigere coram Deo judicaverint, praehabita tamen petitione Superioris vel Superiorissae consentientibus ejus consiliariis, ne scilicet dispensatio forte sit in praejudicium tertii.

94. Ad eliminandos vel praecavendos abusus qui in domibus sororum ex commercio cum extraneis facile nascuntur, jubemus ut stricte servent eam solitudinem, quae eis propriis regulis vel constitutionibus est praescripta, ita ut ob suam clausuram *passivam* neminem, citra ordinationem regulae vel Ordinarii licentiam, claustrum suum ingredi vel in eo morari permittant. Etenim "maxime interest ut virgines Deo mancipatae ab omni mundano consortio separatae vivant," ideoque "proprius earum Episcopus jure meritoque poterit hanc ipsam clausurae legem injungere." (S. Poenit. 1821.)

95. Non tantum passiva haec clausura, sed etiam *activa* quantum fieri potest, servanda est; ideoque denuo severe reprobamus illum abusum, quo moniales nonnullae ad colligendas eleemosynas aliquando circumcursant et saepe ad loca divertunt ab earum monasteriis remota, non sine scandali et vocationis religiosae perdendae periculo. Ordinarios hortamur, ut id non permittant sine necessariis et prudentibus praecautionibus, uti sunt praesertim, ne unquam solae, nec juniores, nec post solis occasum, eleemosynas colligere permittantur, et ita ut, ubi fieri potest, in domo sororum suae vel alterius congregationis pernoctent. Hae vero praecautiones accu-

rate serventur a sororibus quarum regula eleemosynarum collectionem vel praecipit vel saltem in certis rerum adjunctis concedere censetur, quibus scil. tantum sororibus collectae permittantur. In alienam vero dioecesim nunquam iis stipem collecturis transeundi dent licentiam, nisi prius obtenta in scriptis venia Ordinarii loci.

Quodsi Sorores vel etiam laici Fratres alicujus congregationis simplicium votorum non dioecesanae, sed sub superiore generali constitutae, absque hujusmodi inter Ordinarios conventione stipem colligentes in aliena dioecesi deprehendantur, Episcopus vel ipse vel facta relatione ad Ordinarium dioecesis unde venerunt, efficiet, ut statim per suae congregationis superiores revocentur. Si remedium efficax congruo tempore allatum non fuerit, res renuntietur S. Congregationi de Prop. Fide.

96. Neque negligant Episcopi, pro sororibus etiam simplicium votorum, sequi praescriptionem Ecclesiae quae vult ut pro sanctimonialibus ab Ordinario vel aliis superioribus tum confessarius ordinarius constituatur, tum aliquoties per annum extraordinarius deputetur. (Conc. Plen. Balt. II., No. 417.) Utrumque dari postulant cum paritas rationum tum regulae et praxis horum novorum institutorum ab Apostolica Sede probatae et commendatae.

97. Confessarius ordinarius, nisi aliter necessitas suadeat, ultra tres annos pro eadem communitate munere suo non fungatur. Facultates necessarias ad confirmationem confessarii, ratione nostrarum conditionum, impetrabunt Episcopi a S. Congregatione. Extraordinarius saltem bis vel ter in anno ad confessiones omnium excipiendas sese praesentabit; ast etiam aliquando particularibus monialibus saepius eum postulantibus non denegetur.

98. Ad munus hoc arduum et momentosum eligantur viri maturioris aetatis, docti ac pii, qui sanctitatis pro-

priae studiosi, ad orationem et contemplationem sanctam poenitentes suas efforment; maxime allaborent ad conservandum in monasteriis spiritum vitae perfectioris et strictam regularum observantiam; nihil in iis, neque in laudabilibus consuetudinibus, Episcopo inconsulto, innovantes iisque se conformantes specialiter quoad frequentiam sacrae communionis. (Ibid., No. 418.)

99. Inter viros religiosos qui pluribus in locis apud nos, quemadmodum in Europa aliisque orbis regionibus, piam et sedulam juventuti christianae instituendae navant operam, egregiam laudem merentur Fratres qui a scholis Christianis nomen trahunt. Horum progressibus ac stabilitati quo melius consuleret, Benedictus XIII. (in Bulla approbationis *In Apostolicae dignitatis*) edixit, ut "nullus ex fratribus instituti hujusmodi, absque expresso consensu superiorum generalium ipsius instituti, etiam praetextu arctiorem religionem amplectendi e praedicto instituto egredi . . . valeat." Itaque Patres hujus Concilii, cupientes aliquam benevolentiae significationem praeclari hujus instituti religiosis exhibere, ipsorum regulas et constitutiones pro viribus tuendo, et simul menti S. Sedis, ne ad sacerdotium aspirent praecipientis obsecundare, decernunt neminem qui in hac congregatione prima vota emiserit, et deinde quacumque de causa congregationi valedixerit, in provinciarum nostrarum seminaria tanquam sacrorum ordinum canditatum sine dispensatione S. Congregationis admitti posse. Idem statuunt de Fratribus Xaverianis, Franciscalibus aliisque quibus lege sua sacerdotium ambire vetitum est, quo diligentius ac constantius Christianae puerorum institutioni unice incumbant.

TITULUS III.

De Cultu Divino.

CAPUT I.

De Facultate Bis Eodem Die Missam Celebrandi.

100. Quod priscis temporibus licitum fuerat, jam a multis saeculis vetuit Ecclesia quominus, paucis casibus exceptis, sacrosanctum missae sacrificium plus quam semel eodem die ab eodem sacerdote celebretur. Hac de re lex primum ab Alexandro II. lata (Can. 53 de Cons., dist. 1), ab Innocentio III. (Cap. *Consuluisti.*) renovata est hisce verbis: "Respondemus quod, excepto die nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare."

101. Ipso jure communi duas dari exceptiones e citatis verbis clare constat. Prima est, qua sacerdotibus omnibus usque ter litare licet in die nativitatis Domini; altera, pro duabus tantum, numquam pro pluribus missis, est casus necessitatis, quae, uti eam explicat canonicus usus, censetur adesse pro sacerdote "qui duas parochias obtinet vel duos populos adeo sejunctos ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam," vel "quando una tantum sit ecclesia in qua missa celebratur, ad quam insimul universus populus convenire non potest." (Bened. XIV. Const. *Declarasti nobis.*[1]) Cumque similes necessitatis causae propter sacerdotum raritatem et locorum dis-

[1]Ap. *Lucidi*, l. c., p. 359.

tantiam frequentius utique occurrant in missionibus, Sancta Sedes missionariis, uti jus commune parochis, provide indulget per facultatem quam Ordinariis missionum concedit "celebrandi bis in die si necessitas urgeat," atque hanc facultatem etiam "aliis sacerdotibus communicandi." (Form. I., nn. 23, 28.)

102. Religiose tamen attendat Ordinarius licentiam hanc, uptote exceptionem a lege, strictis vallatam esse conditionibus. "Caveat vero ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri sacerdoti * * * communicare * * * visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eamdem communicet." (Form. I., n. 23.) Discrete ergo et prudenter, prae oculis habitis et facultatis terminis et explanationibus repetitis vicibus datis a S. Sede, licentia bis eodem die celebrandi utantur Ordinarii atque sacerdotes, ac sedulo sequantur instructionem ea de re emissam a S. Congregatione de Propaganda Fide, 24 Maii, 1870, et nuperrime Nobis iterum ab eadem Congregatione inculcatam.[1]

103. Illis ex documentis constat necessitatem ad missam iterandam requisitam non adesse in diebus festis suppressis, neque ut missa repetatur in eorum commodum qui vellent praecepto satisfacere in suis privatis oratoriis, neque si alius sacerdos haberi possit, qui populi necessitati valeat satisfacere. Attamen hucusque nulla praecisa regula voluit Ecclesia determinare quandonam alioquin legitima vel imo necessaria sit missae iteratio. Maluit potius rem decernendam relinquere judicio Ordinariorum ut in prudentia et charitate sua

[1] Vide in *Appendice*, p. 233.

pro causae gravitate missam iterent vel a suis missionariis iterari permittant.

104. Sed neque vult Sancta Sedes ut ob timorem rigoris quo munitur facultatis formula nimis angantur eadem utentes. E saepius enim repetitis Apostolicis declarationibus et responsis manifestum est ad iterationem veram quidem requiri necessitatem, haudquaquam tamen absolutam sed moralem, quae existere censenda est quoties deficiente presbyterorum copia aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis judicetur, fidelibus vehementer utile fore ut sacerdotes bis missam eodem festo die celebrent. Cujusmodi si adfuerit, non tantum haud timeant reatum illicitae iterationis, sed potius existiment se muneri suo defuturos, si vel ipsi pro populi necessitate missam non iteraverint vel missionariis suis hanc facultatem non concesserint.

105. Bene notent missionarii sacerdotes se numquam praedicta facultate uti posse nisi "dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi ferre sententiam" (Instr. cit., n. 11), neque praesumendam a quoquam esse licentiam quamdiu recursus ad Ordinarium patet; pariterque, ad vitandam omnem avaritiam et turpis lucri speciem, firmam semper remanere prohibitionem quominus quis, absque expresso Apostolico indulto, pro secunda missa directe vel indirecte stipendium accipiat.

106. Modus etiam quo procedendum est, quum debitis sub conditionibus bis eodem die missa celebratur, accurate descriptus reperitur in instructione S. Rituum Congregationis diei 12 Septembris, 1857, cum supplemento eidem addito a S. Congregatione de Prop. Fide,[1] isque fideliter servandus est ut dignissimo huic sacrificio sua semper exhibeatur ab omnibus reverentia.

[1] Vide in *Appendice*, p. 243.

CAPUT II.

De Uniformitate in Festis et Jejuniis.

107. "Dolendum quidem est," confessi sunt Patres Conc. Plen. Balt. II., "tantam inter nos in festis ac jejuniis observandis discrepantiam inveniri" (No. 382). Nec Nobis quidem minus dolendum videtur quum, ut de Festis loquamur, in aliis locis quinque, in aliis vero novem, in aliis etiam plura celebrentur, et fideles jam animadvertere incipiant atque mirari. Quamquam vix aliter res se habere potuit. Sicuti enim in Ecclesia universali uniformitas absoluta in rebus disciplinaribus vix invenitur ob mores diversos quos in terrae amplitudine diversitas hominum et locorum inducit, ita nec apud nos propter territorii extensionem et varietatem fidelium ex omni Europa vel aliis etiam mundi partibus congregatorum facile haberi potest.

108. His tamen non obstantibus censent Patres hac in re uniformitatem valde profuturam, operamque dandam esse ut quamprimum procuretur, siquidem dilatio temporis nullum remedium sit allatura. Melior autem ratio qua uniformitas in festis celebrandis obtineri possit, Patribus videtur ea esse qua, suppressis quibusdam festis ubi plura, et uno alterove addito ubi pauciora, numerus quidam medius pro cunctis provinciis eligatur.

109. Non expedit porro, ut multiplicentur impraesentiarum festa de praecepto. Tristi enim pastorum experientia constat inter dies festos quos habemus paucos rite observari, quum in iis multi missam non audiant et adhuc plures a laboribus non abstineant; et re quidem vera maxima pars nostrorum fidelium eos debite servare non possunt, quin unicum fere sustentationis medium in discrimen adducant. Laboris namque pretio a patronis

communiter acatholicis vitam quaerere coguntur, ac a laboribus his diebus cessare non permitterentur; et sane spiritus aemulationis inter industriae patronos ita fervet ut interruptionem pati aut se non posse dicant, aut certe nolint. Hinc peccata, hinc conscientiae falsae, hinc spreti pastores in contrarium frustra conantes.

110. Similibus rationibus moti, Patres Conc. Prov. Balt. III. Summo Pontifici Gregorio XVI. s. m. ita supplicarunt: "Gravissimis difficultatibus cum fideles subjaceant in his regionibus quoad dierum festorum observationem, Beatitudinem Vestram implorandam duximus, ut dignetur eos solvere obligatione quae plerisque in dioecesibus viget, servandi feriam secundam Paschatis et Pentecostes, ita ut jam non teneantur missam audire vel ab operibus servilibus abstinere iis diebus." (In Actis.) Pariter, "Quod ad Provincias S. Francisci atque Oregonensem et Dioecesim Sanctae Fidei attinet," dixerunt Patres Conc. Plen. Balt. II., "Sanctam Sedem orandam esse censemus, ut pro quinque illis festis diebus, quibus a Baltimorensi provincia discrepant, concedatur dispensatio quoad praeceptum missam audiendi et ab operibus servilibus abstinendi, non tamen quoad devotionem et solemnitatem externam." (No. 383.)

111. Hinc ad salutem animarum per majorem uniformitatem in festis promovendam, Patribus visum est Apostolicae Sedi supplices offerre preces ut ex omnibus festis apud nos jam vigentibus, illa tantum retineantur quorum observatio, attentis devotione fidelium et publicis moribus, felicius sperari potest. Talia autem videntur esse sex quae sequuntur:

Immaculata Conceptio B. M. V.;
Nativitas D. N. J. C.;
Circumcisio D. N. J. C.;
Ascensio D. N. J. C.;
Assumptio B. M. V.;
Festum Omnium Sanctorum.

Quoad reliqua vero ubi nunc sunt de praecepto, oranda est Sancta Sedes, ut quoad praeceptum missam audiendi et a laboribus servilibus abstinendi, non tamen quoad devotionem et solemnitatem externam, supprimantur et supradicti sex dies festi, omnes et soli, per omnes has provincias de praecepto servandi esse declarentur.[1]

112. Quod vero ad jejunia attinet, difficilius adhuc esset in eis uniformitatem obtinere. Aliis enim in locis obstat climatis asperitas, in aliis escae esurialis caritas, in aliis demum diversi incolarum mores et consuetudines. Satius ideo videtur ut relinquatur judiciis Episcoporum ea statuere in synodis provincialibus quae suis provinciis magis in Domino judicaverint expedire.[2]

CAPUT III.

De Observantia Diei Dominicae.

113. Diem Divino cultui et religionis communi exercitio modo speciali et lege tam stricta a Domino reservatam, sincere fidelibus observandam enixe commendamus. In ea ab operibus servilibus non necessariis omnino obstineant, missam praeceptam audire nisi gravi de causa non omittant, aliisque praeterea devotionis et pietatis operibus diem dominicam vere sanctificent, corpori convenientem praebentes quietem, animam pabulo orationis et doctrinae nutrientes, cum vicinis et amicis libertatem carpentes filiorum Dei. Ast quum ipsa diei requies plures peccatorum occasiones haud raro offerat, diligenter caveant ne Deum offendendo abutantur dono coelesti, ac ita Divinam provocent maledictionem, ac maxima in se ingerant mala. Dum enim, ut verbis utamur Patrum Concilii Burdigalensis I. (Tit. II., c. II., n. 1): "sibi debito Deus cultu

[1] Vide Responsum de Festis, *supra*, p. cv.

[2] Hac super re Congregationis responsum expectatur.

fraudatur, fidesque, cum verbum divinum jam non audiatur, perit funditus, hinc effrenata cupiditas et morum corruptela, qua in dies grassante societatis religiosae, civilis et domesticae vincula dissolvuntur." Et quoniam non id solum quod certo malum est, sed et quod speciem habet mali, ac magis adhuc, quod ad malum ducere solet, a Christiano homine sedulo vitari decet, generose renuntient Catholici nostri recreationibus omnibus et avocamentis, quae sanctitati diei Domini minus congruunt vel etiam sponte sua ducunt ad transgressionem legum sive divinarum sive humanarum. Inter hujusmodi summum certe locum occupat popinarum seu cauponarum hac die commercium, a quo in religionem ac societatem tot ac tanta scaturiunt damna. Naviter ergo laborent pastores utanturque monitionibus, obsecrationibus, minis imo et poenis, ubi necesse fuerit, ad malum hoc evellendum; atque sic pro parte sua juvent, ut deleatur unica fere macula, quae inter nos magis magisque diei Dominicae splendorem obscurat.

CAPUT IV.

De Musica Sacra.

114. In sacrorum rituum celebratione et praesertim in sacrificii missae oblatione solemni, Ecclesia ab aetate Apostolica usque ad nos usa est modulatione musica ut affectus hominum melius provocaret in Deum, et magnificentius Deum coleret. Etenim, ut S. Joannes Chrysostomus animadvertit, (in Ps. 41. n. 1.) "nihil animam aeque erigit, elatamque quodammodo efficit, atque a terra liberat, ac exsolvit a vinculis corporis et amore sapientiae afficit, et perficit ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, sicut modulationis cantus et divinum canticum numero compositum."

115. Attamen haec musices emolumenta ab ea tantum procedunt quae religioni fidelissime servit et sanctitati rei cui conjungitur omnino respondet. Hanc Ecclesia probat, ab initio adhibuit, et ut unice in sacris celebrationibus usurpetur hortatur et praecipit. Profanos vero concentus et molles vocum modulationes, quibus a divinarum rerum contemplatione mens avocatur et ad cogitandas saeculi illecebras vehementer trahitur, non solum in officiis sacris semper respuit, sed etiam utpote in Dei injuriam et in animarum perniciem cedentes detestata est atque proscripsit.

116. Hinc Tridentina Synodus (Sess. XXII., Decr. *de observ. et evit. in celebr. missae.*) Ordinariis locorum Episcopis mandavit ut ab ecclesiis "musicas eas ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur" arceant; et Summi Pontifices omnem musicam, quae a dignitate ritus ecclesiastici aliena esset atque elevationi cordium ad superna impedimentum praeberet, saepe ac severissime condemnaverunt. (Alex. VII., Const. *Piae sollicitudinis*, 23 Aprilis 1657. Innocent. XII., Decr. 20 Aug. 1692. Benedict. XIV., Ep. Encyl. *Annus qui hunc*, 19 Feb. 1749. Pius IX., Const. *Multum ad movendos animos*, 16 Dec. 1870.)

117. Praecepta itaque ac monita Patrum atque Summorum Pontificum attendentes, et decretum Plenarii Concilii Baltimorensis II. (No. 361.) renovantes, monemus pastores omnes ut sedulo invigilent ad eliminandos abusus qui in musica aut cantu in ecclesiis suis irrepere potuerunt. Insuper iisdem pastoribus, dum revocamus in mentem munus ipsis impositum dirigendi selectionem musicae in suis ecclesiis, districte mandamus ut nunquam tolerent templum Dei profanis melodibus resonare; et nonnisi eum cantum in illo admittant qui sit gravis, pius et vere ecclesiasticus. In eumdem finem praecipimus ut in missa cantus ille prorsus excludatur qui verba liturgiae

mutilet, aut nimia repetione iteret, aut ita transponat ut significatio eorum totaliter vel quadantenus immutetur.

118. Praeterea volumus et mandamus ut cantus ea ratione moderetur, qua nonnisi ubi rubricae sinunt, missae cursus interrumpatur. Item, ut musica, quantum fieri potest, cum temporum varietate et cum qualitate festorum plane concordet. Demum, ut ubi vesperarum officium peragitur, vesperae integrae id est psalmis non decurtatis, decantentur.

119. Tandem, ut verbis Patrum Superioris Concilii Baltimorensis utamur (No. 380) eademque denuo confirmemus, "valde exoptandum esse censemus, ut rudimenta cantus Gregoriani in scholis parochialibus exponantur et exerceantur, sicque numero eorum, qui psalmos bene cantare valent, magis magisque increscente, paulatim major saltem pars populi, secundum primitivae Ecclesiae (Bona, Rerum Liturg. l. I., c. 25, § 19.) adhuc in variis locis vigentem usum, vesperas et alia similia cum ministris et choro decantare addiscant. Qua ratione omnium aedificatio promovebitur, juxta illud S. Pauli: "Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus." (Ephes., V. 19.)

TITULUS IV.

De Sacramentis.

CAPUT I.

De Baptismate Neo-Conversorum.

120. Vestigia prementes Concilii Plenarii antecedentis (No. 240) attentionem sacerdotum sacro ministerio incumbentium denuo excitatam volumus circa modum recipiendi eos, qui gratia divina moti e sectis quibuslibet unico Christi ovili incorporari postulant. Nihil enim non curandum est ut sacro Baptismo, adeo ad salutem necessario, si ejus charactere nondum fuerint insigniti, certissime sigillentur; sed etiam maxima religione cavendum ne Sacramentum istud prorsus initerabile temere renovetur.

121. Tantopere scilicet exhorruit Ecclesia semper errorem rebaptizantium ut ne sub conditione quidem Baptismum iterari permittat, nisi quando probabile dubium adest sacramentum hoc antea vel nullo modo vel invalide fuisse susceptum. Culpabiliter aut temere dignitati sacramenti hujus sic derogantes gravis peccati reatu juxta omnes se irretiunt.

122. Ut sua igitur Baptismo debita servetur veneratio, atque quam longissime absit vel sola apparentia repetitionis ejus illegitimae, praecipit Ecclesia ut quando quis ab errore ad fidem convertitur, semper diligens fiat investigatio num antea forsan baptizatus fuerit, numque validus fuerit Baptismus in haeresi susceptus. Neque

sufficit investigatio mere generalis de consuetudine vel praxi aliquarum sectarum, per quam haberi posset praesumptio de collato vel non collato Baptismo aut de ejus validitate vel nullitate; sed, quantum possibile fuerit, inquirendum est in singulorum neophytorum Baptismum, ut obtineatur, qualis in casu haberi queat, vel certitudo vel probabilitas, eos fuisse vel non fuisse valide baptizatos. Facta investigatione, recipiendus erit neoconversus juxta modum descriptum in Instructione S. Officii anni 1859 quam videre est in calce Conc. Balt. Plen. II., et in libris Ritualibus communiter. Cfr. *Responsiones S. O. ad Vic. Ap. Bombajensem, et ad Ep. Savannensem.*[1]

CAPUT II.

De Matrimonii Sacramento.

123. Cum Matrimonii contractus sit unum ex septem legis evangelicae sacramentis, ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis cura a Christo concredita fuit, pertinet de validitate matrimonii, et de juribus ac de obligationibus ex eodem derivantibus judicium ferre. Quam ob rem Concilium Tridentinum, (Sess. xxiv., can. 12.) definivit: "Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit."

124. Quoniam constat per matrimonium duos "unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse, Dei voluntate, intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi aut distrahi nequeat" (Leonis XIII. Lit. Ap. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.); manifeste apparet gravissimae culpae illos esse reos, qui a magistratu civili matrimonium dissolvi postulant, vel, quod gravius est, divortio civili obtento, novum matrimonium

[1] Vide in *Appendice*, p. 244. 246.

inire attentant legitimo vinculo posthabito, quod coram Deo et Ecclesia adhuc manet. Ad haec crimina compescenda poenam excommunicationis statuimus, Ordinario reservatam, *ipso facto* incurrendam ab eis, qui postquam divortium civile obtinuerint, matrimonium ausi fuerint attentare.

125. Rectores animarum saepe moneant fideles ne profanorum hominum errore abripiantur qui pro negotio terreno tantum et saeculari matrimonium habent; iisque in memoriam revocent juxta doctrinam Ecclesiae rem esse sanctissimam utpote sacramentum, et signum quo Christus suum erga sponsam Ecclesiam amorem quodammodo adumbrare dignatus est. Frequenter et gravibus verbis inculcent pium illum et laudabilem Ecclesiae ritum, quo fideles non noctu sed missae tempore cum benedictione nuptiali contrahunt.[1] Qua ratione fidem suam Catholicam tacite profitentur et coram omnibus ostendunt quam alte, ut decet, ac splendide de matrimonii dignitate ac sanctitate sentiant. Et hoc quidem non solum laude dignum sed fere necessarium videtur nostris hisce temporibus quando nihil intentatum relinquunt religionis hostes, ut matrimonio omnis sanctitatis, omnis sacramenti species, si fieri potest, adimatur et quasi merus civilis contractus aestimetur. Fidelium matrimoniis praemitti etiam deberet opportunum examen, quo contrahentes de religione examinentur et instruantur.

126. Praeterea, quo magis magisque dignitati matrimonii consulatur, quod magnum in Ecclesia Sacramentum est, a quo innumera bona profluunt pro animarum salute, pro pace familiarum, pro ipsius civilis reipublicae incolumitate ac prosperitate; iis omnibus, qui matrimonio conjuncti sunt, praecipimus, ne inconsulta auctoritate ecclesiastica, tribunalia civilia adeant

[1] Vide Decretum U. Inquis., in *Appendice*, p. 248.

ad obtinendam separationem a thoro et mensa. Quod si quis attentaverit, sciat se gravem reatum incurrere et pro Episcopi judicio puniendum esse.

127. Item decernimus Catholicos, qui coram ministro cujuscumque sectae acatholicae matrimonium contraxerint vel attentaverint, extra propriam dioecesim, in quolibet statu vel territorio sub ditione praesulum qui huic concilio adsunt vel adesse debent, excommunicationem incurrere Episcopo reservatam, a qua tamen quilibet dictorum Ordinariorum sive per se, sive per sacerdotem ad hoc delegatum absolvere poterit. Quod si in propria dioecesi ita deliquerint, statuimus eos ipso facto innodates esse excommunicatione, quae, nisi absque fraude legis alium Episcopum adeant, eorum Ordinario reservatur.

128. Ex verbis Apostoli, (I. Cor. VII., 15) constat matrimonium infidelium dissolvi posse *ex concessione divina*, quando alteruter conjugum ad fidem convertitur, et alter nec converti ad fidem, nec cum conjuge converso pacifice et sine injuria Creatoris cohabitare velit. Quum hae conditiones verificantur, et conjux ad fidem conversus novum matrimonium init, vinculum quod per matrimonium in infidelitate contractum constitutum fuerat, dissolvitur. Sin autem post baptismum unius conjugis, sed antequam novas ineat nuptias, alter conjux etiam convertatur ad fidem et baptizetur, hic ad illum tanquam conjugem recipiendum tenetur, et ad cohabitandum cum eo compelli potest. (C. *Gaudemus* 8 de Divortiis; in causa Florentina, 1 Julii 1679, et 13 Apr. 1860, apud S. C. Conc.)

129. Conjux qui jam matrimonium in infidelitate cum infideli contraxit, et conversus deinde ad fidem baptizatus fuit, nequit novum matrimonium inire, quin prius interpellet conjugem infidelem circa ejus voluntatem cohabitandi pacifice et sine Creatoris injuria. Quodsi

conjux infidelis nequeat legitime interpellari, recurrendum est ad S. Sedem pro dispensatione.

130. Disparitas cultus inter baptizatum et non baptizatum est impedimentum matrimonium *dirimens;* et diversitas religionis inter baptizatos est impedimentum *impediens.* Ecclesia enim semper aversata est nuptias inter Catholicos et acatholicos, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob gravissimum periculum vel perversionis Catholicae partis, vel pravae institutionis prolis nasciturae. Hinc fit ut quando de impedimento mixtae religionis agitur, Ecclesia sine gravi causa et absque promissione adhibendi cautiones, quibus periculum pro parte Catholica et prole fiat remotum, nunquam dispenset. Cautiones autem sunt sequentes: "ut, scilicet, non solum Catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo Catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum; verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et haec Sancta Sedes sartam tectamque teneri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt." (Instr. de Matrim. Mixtis ad omnes Archiepp. etc., die 15 Nov. 1858.[1])

131. Hae tamen cautiones nonnisi *conditionem sine qua non* constituunt; sed causam requisitam non exhibent ad obtinendam pro mixtis matrimoniis dispensationem. Quare ad hanc concedendam minime sufficit ut sponsi illas cautiones admittere parati sint; sed insuper *justa gravisque causa canonica* omnino requiritur; sine qua

[1] Apud C. Plen. Balt. II., in Appendice.

permitti prorsus nequit, ut fideles gravibus fidei ac morum periculis, etiam sub opportunis cautionibus, sese exponant. Hac in re attendenda etiam sunt locorum, rerum et personarum adjuncta, praesertim ubi periculum est gravioris mali, ne videlicet denegata dispensatione matrimonia mixta nihilominus, idque sine cautionibus clandestine contrahantur.

132. Quum autem matrimonium mixtum debitis cautionibus superius indicatis et dispensatione obtenta contrahitur, illud tamquam legitimum, ut patet, haberi debet, utpote inter personas initum, quas Ecclesia agnovit in illis adjunctis habiles ad valide et licite matrimonium contrahendum. Nemo igitur hoc matrimonium damnare multoque minus sacrilegii notam illi inurere audeat.

133. Quum totum hoc caput ecclesiasticae disciplinae gravissimi sit momenti, curent omnes quibus animarum cura concredita est, ut mala ex matrimoniis mixtis enascentia efficacissimis quibusque mediis praecaveantur, aut si tolli omnino non possunt, saltem maxima ex parte minuantur. Ad hunc autem finem assequendum maxime conducit: 1° frequens parochorum instructio qua fideles edoceantur de Ecclesiae prohibitione mixtorum matrimoniorum. 2° Praxis uniformis eorumdem parochorum in casibus occurrentibus impediendi totis viribus, hortationibus, suasionibus, necnon increpationibus ne hujusmodi conjugia incantur. 3° Examen accuratum de canonicis et gravibus causis quae requiruntur pro dispensatione super hoc mixtae communionis impedimento concedenda. 4° Post celebratas autem mixtas nuptias, parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi ut promissae a conjugibus conditiones observentur et effectum sortiantur.

134. Quoad rationem concedendae dispensationis in impedimentis dirimentibus, ad amussim servandae sunt

instructiones S. Congr. de Prop. Fide.[1] Praeterea, ut a Patribus superioris Concilii Plenarii jam decretum est (No. 386): "pro dispensationibus ab impedimentis matrimonii pecuniam nullo omnino titulo percipiendam esse jubetur, iis tantum exceptis casibus, in quibus Apostolica Sedes eleemosynam oratoribus injungendam monet, in pium aliquod opus impendendam." Non tamen illicitum est Episcopo taxam imponere pro sustentanda cancellaria.[2]

[1] Vide in *Appendice*, p. 249.

[2] De decreto *Tametsi*, Declaratione Benedictina et de Quasi-domicilio vide *supra*, p. cv. Alia vero circa matrimonium documenta vide in *Appendice*, p. 253. sqq.

TITULUS V.

De Clericorum Educatione et Instructione.

---

135. "Si maxima semper vigilantia ac singularis plane sollicitudo fuit adhibenda ut ii omnes, qui in castris Domini militare cupiunt, pie sancteque educarentur et optimis erudirentur disciplinis, neminem certe latet, quantopere Christianae civilisque reipublicae intersit, tam salutare opus ubique ingeminatis studiis urgeri, hisce praesertim asperrimis temporibus, quibus Ecclesiae rationes omnino postulant, ut quotidie magis optimorum sacerdotum subolescat copia, qui virtutum omnium ornatu fulgentes ac sana solidaque pollentes doctrina, valeant proprii ministerii muneribus pie sciteque perfungi, christianam plebem sedulo erudire, animarum saluti accurate consulere, errantes ad veritatis et justitiae semitas reducere, ac Dei ejusque sanctae Ecclesiae causam strenue scienterque defendere, et insidiantium hominum fallacias detegere, errores refellere, insaniam ac temeritatem redarguere et impetus frangere." (Litt. App. Pii IX. instituentis Seminarium Pium, IV. Kal. Jul. 1853.)

Quo certius simulque efficacius id assequamur, ut ad mentem Pii IX., immortalis memoriae, Ecclesiae Dei hisce in provinciis militanti semper ac veluti in procinctu virorum ecclesiasticorum adstet copia, qui potentes in opere et sermone, strenue ac sollerter proelientur proelia Domini, omnesque sui muneris partes tam varias ac graves pie scienterque expleant, visum est hujus concilii

Patribus de clericorum educatione et instructione decernere; siquidem in recta horum institutione tanta inest vis ad reliquum vitae cursum. (Pius IX., Encycl. *Qui pluribus*, 9 Nov., 1846.)

CAPUT I.

De Puerorum Seminariis.

136. Quandoquidem sacerdos talem plerumque habet exitum in vita, quale habuit initium a pueritia; et "adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea" (Prov. XXII. 6), magni profecto interest, ut Ecclesiae futuri ministri a teneris unguiculis singulari studio ad pietatem et doctrinam informentur. Quapropter parochos ceterosque sacerdotes hortamur in Domino et enixe rogamus, ut diligenter animum intendant ad inquirendos dignoscendosque inter pueros suae curae commissos, qui ad clericale tyrocinium idonei et vocati videantur. Si quos repererint pueros "bonae indolis, piae mentis, devoti generosique animi aptos studiis" (Instr. ad Vic. App. in regna Sinarum, Tonk. et Coch. proficiscentes), qui spem afferant eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, nutriant illorum zelum; pretiosa illa vocationis germina sedulo foveant; pro paterna caritate ad pietatem et elementa scientiarum eos informent, ad studia incitent, a saeculi contagiis sollicite arceant; parentes ipsos moneant ut filios dummodo signa verae vocationis ostendant, ad ingrediendum statum clericalem sancte inducant; obstacula demum removere satagant quae non raro ex familiae egestate oriuntur. Quum autem expedire videbitur, ut in puerorum seminarium mittantur, de parentum statu, conditione, moribus et religione, ipsorumque puerorum

ingenio, virtute et indole Episcopum certiorem faciant. Si vero, ut aliquando contingit, religiosi parentes pio vel humano forsan ducti motivo improvide ad statum clericalem e filiis suis unum aut alterum dirigant quem ad sacerdotium promoveri cupiunt, parochus ab ejusmodi proposito naviter eos avertat, si nullum verum vocationis supernae indicium in puero deprehendat. (Cfr. Conc. Prov. Albiense, a. 1850.)

137. Ad Puerorum Seminaria quod attinet, S. Trid. Synodus consultissime decrevit: "Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit ut singulae cathedrales, metropolitanae, atque his majores ecclesiae, pro modo facultatum, et dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel ejus provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint; ac legere et scribere competenter noverint; et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros." (Sess. XXIII., c. 18 de Ref.)

138. Quod saluberrimum decretum ut in effectum deduceretur, Summi Pontifices iterum iterumque Episcoporum sollicitudinem gravibus monitis et cohortationibus excitarunt. In sua ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos Encycl. cit. Pius IX. s. m. scribit: "Pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a

teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras severioresque disciplinas, praesertim sacras, rite informentur. Quare vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, sollertia, industria, clericorum seminaria ex Tridentinorum Patrum praescripto instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare eaque optimis moderatoribus et magistris instruere."

139. Concilii Tridentini decreto Summorumque Pontificum monitis inhaerens, Concilium Plenarium Baltimorense II. hoc tulit decretum: "Valde etiam optamus, ut praeter majus * * * seminarium, aliud quod parvum aut praeparatorium vocant, in unaquaque dioecesi existat. Quod si nondum fieri possit, unum omnino pro unaquaque provincia constituatur. Non parva sane ex parvis hisce seminariis capitur utilitas. In iis enim adolescentuli certiora in dies indicia prodent, quinam clericali militiae adscribendi sint, quinam ab ea repellendi. Praeterea tenerrima puerorum aetatula a pravis exemplis et mundana conversatione tuta defenditur, dum doctrina et moribus se parant, idoneosque reddunt, qui in seminaria majora admittantur. Habent etiam hoc commodi, ut cum in iis ea omnia quae ad literas ac scientiam profanam pertinent doceantur, in majoribus Theologia tantum et disciplinae sacrae discendae supersint." (No. 175.) Cujus decreti executionem, quatenus opus sit, maxime urgemus.

140. Ut vero, prout rerum ac temporum ratio postulat, ipsa puerorum seminaria, hisce in Statibus qua late patent, ad accuratiorem normam redigantur, majoremque proinde Ecclesiae utilitatem parere valeant, haec Synodus plura censet adjicienda, quae hujusmodi institutorum moderamen ac regimen attingunt, necnon studiorum rationem religiosamque vitae institutionem.

141. Quum seminaria minora, fovendae pietatis ac formandi characteris sacerdotalis veluti tirocinia, eo fine instituta sint ut "sacrae militiae tyrones a teneris annis, quoad ejus fieri poterit * * * inibi tanquam novellae plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque literas et minores majoresque disciplinas * * * addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cujusque erroris periculo alienam" (Pii IX., Encycl. ad. Epp. Italiae *Nostis*, d. 8 Dec. 1849.), Episcopi imprimis omnem curam et diligentiam adhibeant, ut seminariis praeparatoriis praeficiantur moderatores et magistri, virtute et moribus, zelo et prudentia non minus quam ingenio et scientia commendati.

142. Moderatores autem et professores, quibus dirigendae et erudiendae clericalis juventutis munus tam grave et grande, Ecclesiaeque et reipublicae Christianae tam utile concreditum est, omni ope atque opera connitantur, ut alumni de die in diem crescant in doctrina solida et accurata, in fide et pietate; studeant discendi amorem in discipulis excitare, simulque disciplinae et laboris vigorem promovere, memores verbi Prophetae: "Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua." (Thren. III. 27.) Omni studio contendant ut adolescentes a prima pueritia, spiritu saeculi magis magisque sese exuentes, ad ecclesiasticum spiritum fingantur; animis eorum instillent status ecclesiastici rectam aestimationem, amorem ac venerationem; sedulo laborem conferant, exemplo non minus quam praeceptis, in veros firmosque orationis et caritatis, humilitatis et obedientiae, candoris et sinceritatis habitus inserendos stabiliendosque; ab ipso curriculi clericalis limine duces sint eis in cunctis suis actionibus ex amore Dei perficiendis adeo ut cura disciplinae dilectio sit, et dilectio

custodia legum (Sap. VI. 19); edoceant eos sacramenta pie frequentare, Sanctissimum Sacramentum adorare, Beatissimam Virginem devote colere, missae sacrificio attente ac pie interesse, cum fructu meditari, et spirituales libros legere. (Cfr. Conc. Prov. Coloc., a. 1863.) Sedulo provideant, ut regulae pro seminariis moderandis salubriter constitutae ab omnibus accurate observentur, quo fiet ut in alumnis ordinis etiam sensus excolatur, ipsique mature ordini in cunctis rebus diligentissime tenendo assuefiant. Assidue invigilent discipulis sibi concreditis sive studio vacantibus, sive ludis indulgentibus; ex indefessa enim vigilantia maxime pendet morum custodia, indolis correctio, studiorumque profectus. (Cfr. Conc. Prov. Turon., a. 1849.)

143. In eo etiam industriam ponant ut pueri urbanitatis leges addiscant et ad quamdam morum comitatem informentur. Ita sermonem, gestum, incessum, vestitum, verbo omnia quae exteriorem hominem spectant, temperare doceantur ut in toto corporis habitu ipsisque vestibus appareat decora quaedam concinnitas quae aeque a plebis rusticitate et ab exquisita saecularium hominum elegantia remota sit. Quidquid igitur in eorum moribus asperum et durum, inurbanum et dissonum notaverint, in melius corrigere et elimare studeant. Sane christiana urbanitas et morum suavitas quae ex caritate et humilitate prodeunt, clericis ornamento sunt et dignitati, splendorisque non parum doctrinae et pietati afferunt, idque demum efficient ut ministri Dei hominibus sese acceptos reddant eosque facilius Christo lucrifacere valeant.

144. Si qui deprehendantur facultatibus seu animo statui clericali consentaneis destituti, religioni aut virtuti minime dediti, disciplinae impatientes, arrogantem vel pertinacem indolem prae se ferentes, aut aliis sive dictis sive factis offendiculo esse comperiantur, et saepius

admoniti ad meliorem frugem se non recipiant, e seminario dimittantur.

145. Ad studiorum rationem ut jam gradum faciamus, in omnibus puerorum seminariis quae etiam Parva vel Praeparatoria vocantur, studiorum cursus non pauciores quam sex annos complectetur.

146. Inter ea quae docenda venient, primum locum obtinet religionis Christianae doctrina, quae gradatim in omnibus classibus pro aetate et captu ingenii discipulorum accurate tradenda erit, adeo ut provectiores aetate et studiis penitiorem cognitionem de fidei fundamentis acquirant atque contra errores adversos muniantur.

147. Post doctrinam Christianam praecipua cura tribuatur linguarum studio. Linguam Anglicam imprimis ita diligenter addiscant, ut ea recte, facile ac eleganter, sive ore sive scripto uti valeant. Ad hunc finem sedulo exerceantur alumni in scribendo, publice legendo et recitando. Praeterea ex aliis linguis recentioribus unusquisque unam saltem colat, sive Germanicam, sive Gallicam, aut Polonicam aliamve e Slavicis linguis, vel Italicam, Hispanicamve, prout Episcopus pro dioecesis necessitate ordinaverit. Linguae Latinae autem studio peculiarem impendant sollertiam, adeo ut recte, pure et emendate scribere ac etiam loqui valeant. Ad id assequendum opus erit ut alumni assidue exerceantur in transferendo, non solum ex latino in vernaculum, sed etiam et multum quidem, tum ore tum scripto, ex vernaculo in latinum; hac enim ratione usu sibi comparabunt in applicandis regulis grammaticae peritiam, et aliquantenus propria linguae latinae indole imbuentur. Singulis etiam diebus breves partes vel paucos versus ex auctoribus ecclesiasticis aut profanis scriptoribus memoriter ediscant, eo ut latine quadam facilitate scribendi et loquendi compotes fiant. Prae oculis habeant magistri quod Summus Pontifex Pius IX. f. m. supremo suo

oraculo sanxit, ut scilicet adolescentes clerici addiscant "germanam dicendi scribendique elegantiam et eloquentiam tum ex sapientissimis Sanctorum Patrum operibus, tum ex clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labe purgatis." (Encycl. ad Epp. Galliae, 21 Martii 1853.) Volumus etiam ut Catechismus Romanus, liber vere aureus tam pro uberi doctrina quam pro sermonis elegantia, qui ex Tridentini Concilii mente ad parochorum usum Summorum Pontificum jussu editus fuit, in manibus sit provectiorum discipulorum, ut tum legendo tum vertendo in vulgarem sermonem, in doctrina Christiana simul et in lingua latina magis proficiant, jamque a prima aetate egregium hoc opus magni aestimare ac in manibus versare assuescant. (Cfr. Conc. Prov. Urbinat. a. 1859. Conc. Prov. Burdigal. a. 1868.)

Linguae Graecae quoque seriam dent operam quae sufficiat, ut saltem Novum Testamentum graece exaratum legentes intelligant. Enimvero Ecclesiae praestantissima monumenta graece et latine conscripta sunt.

148. Curent etiam magistri ut in legendo et recitando verba clare, articulate et distincte ac cum recta accentuatione, syllabarum quantitatis ratione habita, efferant discipuli, memores moniti Pontificalis Romani: "Studete verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte et aperte ad intelligentiam et aedificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur." (De Ord. Lect.) Rhetorica pariter tradatur theoretice et practice oportet; in ejusque exercitationibus alumni ad illud potissimum dicendi genus instituantur, quod perspicuum est et simplex, quin tamen incultum; sublime et dignitatis plenum, quin tamen inflatum et turgidum. (Conc. prov. Ravennat. a. 1855.)

149. Praeter memorata studia in seminariis puerorum studiose quoque tradenda erit Historia tum Sacra tum

Profana, et praesertim Historia Patria, quo fiat ut in alumnorum animis Patriae amor bono civi conveniens foveatur. Quum vero Geographia merito appelletur lumen historiae, ipsa profecto non erit negligenda. Similiter Mathematica (Arithmetica, Algebra, Geometria, Trigonometria) quae ingenium et ratiocinandi vim apprime acuit ac perficit, pluribusque ex scientiis naturalibus usui est, nequaquam praetermittenda erit. Ad scientias naturales quod attinet (Physicam, vulgo *Natural Philosophy*, Chemiam, Historiam Naturalem, Geologiam, Astronomiam) quae nostris temporibus adeo celebrantur, eatenus saltem colendae erunt, ut alumni curriculum emensi non sint ignari eorum quae ignorare viro honeste instituto dedecori cederet. Praeterea, quum a neotericis sub harum scientiarum velamento tot errorum monstra ad labefactanda fidei fundamenta in medium proferantur, omnino expedit ut ingeniis clericorum adolescentium earumdem scientiarum rudimenta inserantur tanquam semina postmodum, errorum efficacius refellendorum causa, magisque evolvenda.

150. Ut autem jam ab adolescentia clericalibus initientur moribus, et in caeremoniis graviter et accurate observandis exerceantur alumni, sacris officiis in sacelli choro inservient. In Cantu Gregoriano insuper exerceantur per integrum curriculum. Artis musicae generatim commendetur cultus. Denique in singulis minoribus seminariis scholam instituendam esse jubemus, qua ars tabulas accepti et expensi conficiendi (*Book-keeping*) eatenus tradatur ut futuri sacerdotes in administrandis bonis temporalibus codices accepti et expensi accurrate et juxta ordinem redigere sciant.

151. Porro ut studiorum curriculum expedito simul et felice gressu decurratur, summa cura adhibenda, ut praedicta studia tam multa et diversa accommodate distribuantur et ordinentur. Eo fine studiorum pro-

gramma certum et explicitum, ab Episcopo probandum, conficiendum erit a moderatoribus seminariorum, quo definiatur, quae in singulis classibus tradenda, materiis et horis apte ordinatis et distributis. Tota etiam alumnorum vita certa norma ita disponatur, et nulla diei hora in incerto relinquantur quid sibi ad virtutis et scientiae progressum agendum sit.

Satagant moderatores et magistri, supernaturalibus motivis nequaquam praetermissis, discipulos variis incitamentis provocare ad strenue constanterque laborandum, studiaque indefesso zelo ad finem usque prosequenda. Aemulationis inter discentes acuendae gratia instituantur, anno praesertim labente, examina sive scripto sive verbo, idque coram Episcopo vel viris doctrinae insignis ad id delegatis. Nullus alumnus nisi praevio examine ad altiorem cursum admittatur; qui non satisfecisse judicatus fuerit, per sequentem annum in eadem classe retineatur. Quolibet semestri Episcopis respectivis deferantur notae meritum cujuslibet alumni quoad studia et mores exhibentes.

152. Ceterum ut quae pro seminariorum puerorum apto regimine, religiosa institutione studiorumque ratione statuere visum est Patribus, ad optatum finem deducantur; utque praecaveatur, ne unquam clerici adolescentes, studiorum curriculum breviori tempore aut laxiori gressu perficiendi spe allecti, seminaria ad normam praescriptam accurate redacta devitent aut deserant, alio se conversuri; volumus, et praecipimus, ut in hisce Statibus omnia et singula puerorum seminaria clericalia necnon collegia, quae adolescentes clericos educandos recipiunt, sive provincialia, sive dioecesana, sive privata, sive a saecularibus sacerdotibus, sive a religiosis institutis regantur, stricte et accurate observent, quae in hac Synodo quoad regimen, religiosam institutionem, studiorumque rationem seminariorum minorum definita haben-

tur; insuper mandamus, ut nullo loco horum Statuum in seminarium majus admittantur alumni, nisi ab examinatoribus facto scientiae periculo probentur. Hi examinatores poterunt esse examinatores synodales vel prosynodales illius dioecesis in qua seminarium illud majus situm est.

153. In quibusdam hujusce regionis locis ea adhuc obtinet agendi ratio, qua clerici tyrones, donec seminarium majus ingrediantur, in collegiis educantur in quibus crescunt ac instituuntur juvenes qui laicali statui destinantur. Equidem ejusmodi educationis ratio non omni ex parte Concilii Tridentini praescriptis respondet, juxta quae clerici instituendi sunt in seminariis in quibus omnia ad unicum clericalis educationis scopum diriguntur. Verum quum pro temporali necessitate, iisdem in locis seminaria pure ecclesiastica, in praesenti erigi aut sustentari non queant: indulgendum erit ut, quoad per subsidiorum tenuitatem meliori modo provideri non possit, in memoratis locis mixtae educationis rationem retinere liceat.

CAPUT II.

DE SEMINARIIS MAJORIBUS.

154. In minoribus seminariis clerici quodammodo inchoantur, in majoribus autem ad perfectionem quasi perducuntur. Hic proxime praeparantur qui lux mundi esse debent et sal terrae, populorumque duces; qui duplici quasi instructi pietatis doctrinaeque gladio veritatem fortiter propugnent, erroresque invicte debellent; qui potentes in opere et sermone primo mane exeant, boni ac strenui operarii, ad vineam Domini excolendam custodiendamque, parati se totos impendere ad gloriam Dei procurandam, fratrumque animas lucrandas. Prae

omnibus igitur seminariorum majorum curam Episcopi cordi habeant, paterna sollicitudine ea prosequantur, ut oculi pupillam custodiant.

155. Valde optandum quidem foret ut ad mentem Sacrosanctae Synodi Tridentinae quaeque dioecesis suum haberet seminarium. Verum in praesenti rerum statu subsidiorum angustia sacerdotumque paucitas, quibus plures dioeceses premuntur, id effici non sinunt. Volumus tamen et praecipimus, de novo inculcantes decretum a Decessoribus nostris hac de re editum (No. 174), ut pro educandis clericis provinciae, in unaquaque provincia unum saltem existat majus seminarium, quod Episcopi, prout inter eos convenerit, collatis consiliis et facultatibus erigant aut jam erectum servent ac tueantur. Quod seminarium quo tutius sustentetur magisque floreat, vehementer urgemus ut omnes provinciae Episcopi, qui propria non habent seminaria, in id suos mittant clericos educandos.

156. Quo aptiora evadant seminaria ad sanctum suum assequendum finem, in id omnes zeli nervos intendant Episcopi, ut in iisdem ea vigeat educationis ratio, qua clerici salutari solidaque scientia ac doctrina imbuantur, atque ad pietatem omnemque virtutem et ecclesiasticum spiritum formentur. Quum vero huic fini tuto consequendo maxime utilis sit certa legum et institutionum ratio qua seminarii regimen stabiliter ac perpetuo firmetur, edat si jam non ediderit, quisque Episcopus (Episcopi provinciae in casu seminarii provincialis) seminarii sui constitutiones quae singillatim praecipiant quid sentire, quid agere, quidve spectare debeant tum clerici, qui in spem dioecesis educantur, tum moderatores et magistri, qui illorum institutioni operam impendunt. (Cfr. Conc. Prov. Ravennat. a. 1855.) Sedulo insuper curet ut constitutiones ab omnibus ad quos pertinent diligentissime serventur.

157. Seminarium tam minus quam majus frequenter visitet Episcopus, et adhibitis etiam, si ei videbitur, aliis doctis et piis viris, tum de magistrorum diligentia tum de progressibus, quos et in vitae disciplina, et in litterarum scientiarumque studiis clerici habuerint, accurate inquirat.

158. Disciplina pro moderanda tota vitae ratione ita sit comparata, ut nec nimium rigorem sapiat, nec perniciosam laxitatem redoleat; superiorum autem vigilantia in ejus conservatione ita sit temperata et discreta, ut nec ad minima quaeque nimis subtiliter attendat, nec animos quibusdam veluti vinculis onerosis constrictos teneat, quae impediant quominus juvenum indoles sese exerat. (Cfr. Conc. Prov. Venet. a. 1859.)

159. Cautissime procedant Episcopi in seligendis viris quibus seminarii directio concredatur; nec electos diutius in officio retineant, quam quousque eorum vitam et studia tanti ponderis muneri respondere animadverterint. Rector sit morum integritate, gravitate, experientia et consilio eximius, ac pietate, zelo, omnibusque virtutibus sacerdotalibus praestans; qui animi fortitudinem in disciplina tuenda cum mansuetudine et suavitate in gubernando societ; qui curam omnem et vigilantiam adhibeat, ut omnes seminarii officiales ac ministri suo munere rite fungantur. Ad officium docendi non assumantur magistri nisi qui ingenio, doctrina, pietate et morum gravitate spectatissimi sint; qui studiis constanter addicti, regulae jugum et vitae operosae pondus hilari animo perferant, atque in accurate servando ordine alumnis praeeant; qui juvenes clericos humilitatem, mundi fugam, laboris et solitudinis amorem, orationis assiduam praxim exemplo non minus quam verbo edoceant; qui maxime idonei deprehendantur, non solum ad tradendam scientiam ab omni errore alienam, verum etiam ad discipulorum animos gloriae Dei et salutis animarum zelo

inflammandos. Si opus sit, ejusmodi professores aliunde etiam arcessantur.

160. Quandoquidem magistros eo magis idoneos futuros esse quo stabiliores res est explorata cavendum erit ne frequenter mutentur; nec iis docendi munus concredatur, qui magisterium quasi in transitu obeant, sed iis tantum qui zelo discendi et docendi flagrantes, eximio huic officio tempus et vires impendere sint parati. (Cfr. Conc. Prov. Aquense a. 1850.) Ne autem praesentis conditionis taedium eos a sancto proposito deterreat, Episcopus per honorem eis delatum sapienter prospiciet, ut omnibus innotescat magisterii dignitas, eorumque rei temporali paterno affectu ita providebit, ut coaetaneis unde invideant plerumque habere non possint. (Ibid.) Ceterum, ad Dei honorem Ecclesiaeque decus seminariorum nostrorum professores adhortamur et obsecramus ut generoso et alacri animo, maturaque prudentia muneri suo tam utili et pretioso vires omnes impendant et ad ecclesiasticae scientiae gloriam et augmentum totos sese devoveant. Munus suum ita cordi habeant, ut ne zeli quidem apostolici opera, quibus ab illo distrahi possint, extra seminarium aggrediantur.

161. Provideant etiam Episcopi omni sollicitudine, ut in seminariis sint directores spirituales quam aptissimi ad conscientias moresque eorum regendos, qui postea fidelium mores et conscientias regere et ipsi debebunt. Studeant directores spiritus in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriae voluntatis abnegationem, veram obedientiam, pulchram charitatem inserere; internascentia opimarum paroeciarum vel divitiarum desideria salutaribus monitionibus exstinguant, solam denique illis Dei gloriam et animarum salutem esse procurandam doceant et expetendam. (S. Carol. Borrom.) Suos eisdem sensus libere exponant alumni, ut sibi, prouti opus fuerit, consulatur, scientes nihil esse

difficilius, quam immoderatis animi affectionibus per se moderari.

162. In delectu alumnorum, qui in majus seminarium admittendi sint, magna adhibenda erit sollertia in expendenda eorum vocatione, indole ac moribus; nemini pateat aditus, quin studiorum curriculum pro seminariis minoribus praescriptum, integre ac cum sufficienti successu absolverit; singulari vero mentis acie ad candidatorum pietatem vitaeque integritatem attendendum erit, quum experientia constet, mediocris ingenii viros, qui spiritu ecclesiastico ac vero animarum zelo sint imbuti, uberiores fructus afferre in Vinea Domini quam eos, qui istis eximiis dotibus destituti doctrina et scientia excellunt. (Conc. prov. Venet. a. 1859.)

163. Nihil intentatum relinquant moderatores et magistri necnon et directores spirituales, ut clerici muneris in quod adspirant, excelsum gradum et sublimem dignitatem rectè intelligant, maximique aestiment; ut sedulo corde expendant tantam vocationis suae altitudinem et excellentiam, quae angelicam potius quam humanam postulat conversationem; nullus enim est efficacior stimulus ad incitandos hominum animos, ut dignitati quam appetunt pares se reddant, ac sanctae suae vocationi vitae sanctitate respondeant, quam ipsa dignitatis vocationisque pia et assidua consideratio. Omni nisu conentur eas alumnis inserere virtutes quarum defectu nostra haec aetas praesertim laborare deprehenditur, imprimis humilitatem, obedientiam, debitamque superioribus reverentiam. Caveant juvenes ab immoderato propriae libertatis amore, ab odio salutaris cujuslibet freni et regulae impatientia, quo vitio nullum aliud sacerdotali spiritui magis est contrarium. Qui enim ita propriae voluntati inhaerent, leges et statuta saepe contemnent, superiorumque ecclesiasticorum sapientissima etiam mandata frequenter carpent. (Conc. Prov. Burdigal., a. 1859.)

Assuescant etiam non suis commodis aut ingenio mollius indulgere, ne postea in luctaminis aestu virili constantia et abnegatione sacerdotali deficiant.

164. Quantopere in dies alumni proficere debeant pietate, ex consultissimis sanctionibus clarescit sacrosanctae Tridentinae synodi praecipientis, non solum ut ad presbyteratum non admittantur nisi viri "ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint exspectari;" sed etiam ut ad subdiaconatum et diaconatum deligantur viri, "quorum probata vita senectus sit;" immo admittendi ad minores ordines "ita de gradu in gradum ascendant, ut in iis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat." (Sess. XXIII., de Ref. cc. 14, 12, 11.)

165. Quoad candidatos ordinibus initiandos Episcopi, ut et seminariorum moderatores et magistri prae oculis habeant grave monitum S. Congr. de Prop. Fide in instructione de Titulo Ordinationis edita d. 27 Aprilis 1871. "Si juxta S. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimum valet cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus (missionis) adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate ac rerum mundanarum contemptu spem faciant sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo superiorum conscientia districte oneratur." (Cfr. Conc. Plen. Balt. II., No. 179.) Postremo, quum frustra speraretur fore ut qui in apostolicum ministerium assumuntur, sanctae suae vocationi respondeant nisi spiritum ecclesiasticum, qui est abundans quaedam seu copiosa participatio spiritus Christi, in se habeant, de eo vivant, ab eo moveantur et per eum operentur, sedulo ac ferventer colatur in seminariis

devotio in Spiritum Sanctum, ut ille Spiritus Christi, Summi Sacerdotis, veniat in clericos, apud eos maneat, in eisque operetur; quem in finem commendamus Confraternitatis Servorum Spiritus Sancti propagationem in seminariis, quae confraternitas a S. Sede jam approbata est.

166. Seminariorum munus quum sit duplex clericos tum pietate tum scientia imbuere, postquam statuimus per quae pietati consulatur, superest ut de studiorum ratione, quae expediant definiamus.

In omnibus igitur seminariis majoribus, tam provincialibus quam dioecesanis aut privatis, sive a sacerdotibus saecularibus sive a religiosorum institutis regantur, studiorum curriculum non pauciores quam sex annos complectetur, quorum duo philosophicis disciplinis attribuendi, theologicis vere quatuor. Quod quidem studiorum curriculum omnes clerici qui ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri cupiunt, integre et cum sufficienti successu absolvere tenentur, nisi ab Episcopo ob gravissimas rationes dispensatio in casu particulari obtenta fuerit.

167. Philosophiae cursus complectetur Logicam, Metaphysicam et Ethicam cum principiis Juris Naturalis, eas scilicet disciplinas quae Philosophiam Rationalem, quam dicunt, constituunt; uberius etiam excolantur scientiarum Physicarum principia et elementa jam in minoribus seminariis tradita, quo fiant magis comparati auditores ad detegendos confutandosque errores, qui his disciplinis nostra aetate passim inseruntur. Facultas Theologica comprehendet Theologiam Scholastico-Dogmaticam ac Moralem, Exegesim Biblicam, Historiam Ecclesiasticam, Institutiones Juris Canonici, necnon cursus Liturgiae theoreticae et practicae, et Sacrae Eloquentiae. Directoris spiritus erit clericos pro cujusque indole et mensura gratiae ipsis communicata Theologia Ascetica

theoretice et pratice prudentur imbuere. Ex hisce disciplinis lingua latina tradendae erunt saltem Philosophia rationalis, Theologia Dogmatica ac Moralis et Jus Canonicum. In Exegesi Biblica pro textu explicando adhibeatur versio Vulgata latina, ut illa clericis omnino familiaris evadat, quam Conc. Trident. in publicis lectionibus, disputationibus et praedicationibus pro authentica habendam esse statuit et declaravit. Eodem idiomate in Theologia Dogmatica et Philosophia statis diebus instituentur disputationes.

Maturo consilio designentur pro singulis facultatibus libri adhibendi, qui sanitate et soliditate commendati, compendium saltem totius disciplinae contineant a professoribus ampliori explanatione collustrandae. Qui libri erunt probandi ab Episcopo pro seminario dioecesano; pro seminario provinciali vero ab Episcopis provinciae de communi consensu, aut saltem a Metropolita. Eligantur prae aliis ejusmodi libri, qui recentiores quaestiones nitide explicant erroresque novissimos confutant. Libris ab Episcopo approbatis ut plurimum inhaereant professores.

168. Ad Philosophiam ut pedem referamus, probe norint juvenes clerici sese in Theologia parum profecturos, nisi studiis philosophicis sedulam ac diuturnam navarint operam. Sane "perpetuus et multiplex philosophiae usus requiritur, ut sacra Theologia naturam, habitum ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat." (Encyl. SS. D. N. Leonis XIII. *Aeterni Patris.*) Philosophiae autem magistri praeclare meminerint, omni nisu id sibi contendendum, ut severis Logicae regulis discipulorum mentes flectantur et assuescant, atque ad disserendum et argumentandum latino sermone formaque, ut ajunt, scholastica crebro exerceantur; utque sanis principiis et notionibus, quae ex Metaphysica hauriuntur, solide imbuantur. Quum vero germanae

philosophiae cultoribus omnibus jam exploratum sit, in doctrinis S. Thomae "eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem" (Litt. App. ejusd. SS. D. N. *Cum hoc sit*, d. 4 Aug. 1880); Nobisque nihil antiquius, nihil optatius esse possit, quam ejusdem Pontificis religiosissime obtemperare votis, in Litteris Encyclicis cit. declaratis, volumus et jubemus, ut in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis, magistri omnes studiose ac fideliter inhaereant Angelici Doctoris vestigiis, illius scholasticorum doctorum omnium Principis, quem idem S. Dominus Noster ac Pater "ad gloriam omnipotentis Dei et honorem Doctoris Angelici, ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem" (Lit. App. cit), plaudente orbe Christiano scholarum catholicarum Patronum declaravit.

169. Inter theologicas disciplinas Theologia Dogmatica et Moralis principem locum tenere debent, ut clerici veritates fidei et regulas morum apprime calleant. Ea autem ratione Theologia Dogmatica erit tractanda, ut sit positiva simul et speculativa seu scholastica; positiva scilicet, quatenus eorum, quae ab Ecclesia tanquam divinitus revelata credenda proponuntur, veritatem demonstrat ostendendo quod et quomodo sint contenta in libris scriptis et sine scripto traditionibus; speculativa vero aut scholastica, quatenus ex iisdem veritatibus ita demonstratis, ope veritatum naturali ratione cognitarum, ulteriores cognitiones concludendo eruit, rationemque fide illustratam evehit ad accuratiorem atque uberiorem rerum quae creduntur cognitionem, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquam lucidiorem intelligentiam, eamque fructuosissimam, "tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo" assequendam. (Conc. Vatic. Const. I., c. 4. Cfr. Encyl.

Leonis XIII. *Aeterni Patris.*) Quoad materias tractandas, quaestionibus minus utilibus aut omissis aut levitur tantum delibatis, accuratissime tractandum de reliquis, ac praesertim de iis quae ad recentiorum errorum refutationem conferunt; speciatim vero de religionis et revelationis Christianae fundamentis, de Ecclesiae natura, auctoritate et notis, de primatu demum et infallibilitate Romani Pontificis.

170. Theologia Moralis, quum spectet ad regimen animarum, quae merito ars artium appelatur, non minus diligenter tradenda erit, ut clerici comparati fiant ad moderandas conscientias in foro interiori, animasque prudenter et efficaciter dirigendas in via salutis.

171. Sacrae Scripturae magister, praemissa introductione, in qua singulorum librorum vindicanda authentia et auctoritas canonica diligenterque tradendae erunt hermeneutices regulae, in id praesertim mentis aciem dirigat ut hunc uberrimum thesaurum reserėt, unde mens et cor haurire queant quidquid tum fovendae augendaeque pietati, tum fidelibus instruendis ac movendis, tum religioni tuendae ac illustrandae maxime utile sit (Conc. Prov. Burdigal. a. 1850.)

Quandoquidem linguae Hebraicae quaedam cognitio et peritia non parum confert ad sacram exegesim pleniori et accuratiori ratione pertractandam, huic linguae addiscendae unum saltem annum, Philosophiae postremum aut Theologiae primum impendere omnes cogantur. (Conc. Plen. Balt. II., No. 178.)

172. Historiae Ecclesiasticae professor in iis potissimum immorabitur, quibus historiae veritas contra falsae scientiae mendacia vindicetur ac in jus suum restituatur, ostendaturque quanta omnibus saeculis in humanam societatem ex ecclesiasticis institutis bona dimanarint.

In Jure Canonico iis praesertim attendendum, quae ad praesentem Ecclesiae disciplinam spectant, ratione potis-

simum habita Conciliorum Nostrorum Plenariorum, idque sibi proponant magistri, ut sacrorum canonum non solum cognitionem verum etiam amorem et observantiam provehant.

173. Sacrae Eloquentiae praeceptor accurate exponat eloquenter dicendi principia ac optimas circa varios praedicandi modos regulas. Quia vero parum prodest eloquentiae promere theoriam nisi practicae adjungantur exercitationes, quibus actionem, elocutionem simul et stylum edoceantur discipuli, singuli theologiae tyrones teneantur coram magistris et condiscipulis semel saltem in anno concionem habere, ut assuescant digne ac fructuose loqui in publico. Magistrorum erit post concionem vitia, si quae deprehenderint, notare et corrigere. Magnam etiam qui praeest arti bene dicendi in eo ponat industriam, ut clerici addiscant elementa fidei nitide ac plane catechizando evolvere, doctrinamque Catholicam cum perspicuitate et facilitate sermonis exponere.

174. In praxi caeremoniarum diligenter exerceantur clerici; rituum sacrorum explicatio tradatur eis historica et mystica. Cantus Gregoriani demum habeantur lectiones theoreticae ac practicae, quas omnes frequentare teneantur; nec ex facili ad sacros ordines admittant Episcopi quos, nulla excusante legitima causa, cantum sacrum neglexisse compererint. (Conc. Prov. Ravennat. a. 1855.)

175. Quolibet semestri exeunte, aut semel saltem quotannis, omnes seminarii majoris alumni examen in variis disciplinis subire adigentur, coram Episcopo vel vicario generali et examinatoribus cleri, adhibitis etiam aliis de clero dioecesano doctrina praestantibus. Praeterea relatio fiat quotannis de statu uniuscujusque alumni ad proprium Episcopum.

176. "Experientia docet," ajunt Patres superioris Concilii Plenarii, "saepius evenire, ut alumni unius

seminarii in aliud migrent, sive quia ad ministerium haud idonei judicantur, sive disciplinae severioris fuga, sive tandem ex animi inconstantia et levitate. Praecipimus igitur, ut nemo hujusmodi in posterum in seminarium quodvis admittatur, nisi secum afferat literas testimoniales ab Episcopo et superioribus seminarii ex quo recens egressus est. Quod si eum hactenus Episcopus ille aut superiores seminarii suis sumptibus aluerint, ex justitia recuperare debent ab Episcopo aut superioribus seminarii, ad quod transiit, tantum quantum in ipso educando impensum fuit," (No. 180) si nempe in alteram dioecesim adscribatur. Quae ut accurate serventur, et Nos mandamus.

177. Ne alumni clerici, ubi villae nondum institutae sunt, vacationum tempore, illum rectae institutionis fructum amittant, quem non sine magno suo et suorum moderatorum praeceptorumque labore acquisierunt, superiores accedente feriarum tempore sedulo eos instruant, qua ratione in omni modestia et sanctitate debeant inter consanguineos et concives versari; quae pericula fugere, ut immaculatos se custodiant ab hoc saeculo; quali occupatione animi recreationes temperare, ne otio torpeant, ex quo tot enascuntur vitia; quibus demum exercitiis pietatis quotidie incumbere, ut clementissimus Deus feriarum tempus benedicere dignetur, quo alumni post exantlatos labores quiete fruuntur. (Conc. Prov. Ultraject. a. 1863.) Parochis etiam praecipimus, ut alumnorum clericorum feriarum tempore intra paroeciam degentium vitae et moribus sedulo invigilent, quo possint de tota eorum agendi ratione testimonium reddere. Ipsi juvenes statim ab initio parocho se sistant ejusque directioni et curae se subjiciant. Ut jam incipiant apostolico muneri quodammodo proludere caritatis et zeli operibus sese exercendo, atque clericalis vitae officiis assuescant, parochus eosdem adhibeat in operibus ministerii quae

ipsis competunt, in tradendis scilicet puerulis christianae fidei elementis, in chori officiis inserviendo, in ceterisque id generis ministeriis ad divini cultus honorem ecclesiarumque decentiam et ornatum pertinentibus. Finitis vacationibus, parochus, gravata ejus conscientia, tenetur clausis literis Episcopum aut seminarii superiorem, si Episcopus voluerit, informare de moribus alumnorum, de eorum vivendi ratione, de frequentatione sacramentorum et assiduitate in aliis functionibus sacris, ac de habitu qualis clericos alumnos decet ab iis retento. Hoc testimonium illius parochi esse debet cujus directioni et vigilantiae alumni subjecti erant; quod si is aliorum sacerdotum informationibus indigeat, ut certa ad Episcopum vel seminarii superiorem referre valeat, eas necessario requirat.

178. Quae spectant ad seminariorum rectam interni regiminis rationem et rerum temporalium conditionem, ex Patrum Tridentinorum voluntate Episcoporum jurisdictioni, curae et vigilantiae principaliter sunt concredita. At cum ordinaria dioecesis negotia eorumdem attentionem et sollicitudinem plerumque sibi vindicent, provide caverunt sapientissimi iidem Patres, ut Episcopi idoneos viros adsciscerent, qui in seminarii sollicitudinis partem advocati, ipsis in eodem regendo auxilio essent. Duplex porro est deputatorum species quae pro recta seminarii administratione ac regimine a Concilio Tridentino praescripta fuit. Prima species est eorum quorum consilium adhibere debet Episcopus circa ea quae seminarii internum regimen respiciunt; altera vero est eorum quorum consilium exquirendum est circa rerum temporalium administrationem, uti est taxae impositio, rationum redditarum recognitio aliaque similia.

179. Statuunt igitur Patres in hac synodo coadunati, ut pro unoquoque seminario, sive minori, sive majori, duo saltem constituantur deputati, unus pro spirituali-

bus, uti est institutio, disciplina et mores clericorum, alter pro temporalibus. Ejusmodi deputati eligendi erunt pro seminariis dioecesanis ab Episcopo de consilio consultorum, pro provincialibus ab Episcopis provinciae collegialiter.

180. Quoad seminaria privata necnon collegia, quae a sacerdotibus saecularibus instituta vel instituenda sint, decernimus, ea jurisdictioni Ordinarii loci, ubi existunt, esse subjicienda, adeo ut super iisdem inspectionis et vigilantiae jus exercere non solum valeat sed et omnino debeat. Ad seminaria vel collegia religiosorum ordinum aut societatum quod attinet, serventur conditiones speciales quae initae fuerint.

181. Denique quum sacrorum ministri fideles et vere idonei sint Dei donum, et quidem maximum, imprimis enixe rogandus idem Deus, qui est "Dominus messis, ut operarios mittat in messem suam" (Luc. x. 2); quumque maxime deceat, ut communem causam communis prosequatur oratio, mandamus ut Dominicis diebus, qui Quatuor Temporum jejunia proxime antecedunt, parochi nedum solemne illud jejunium ordinationum causa institutum fideles moneant, sed et eosdem ad frequentandum iis diebus missae sacrificium, precesque devote persolvendas, atque jejunia Deo offerenda suaviter excitent, quo fiat ut Dei sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus ordines conferat, Spiritus Sancti lumine illustretur, tum illi quibus conferendi erunt, tales evadant, quales Dei honor cultusque et Ecclesiae utilitas, immo necessitas postulant. (Cfr. Conc. Prov. Ravennat. a. 1855.)

CAPUT III.

De Seminario Principali.

182. Philosophiae Theologiaeque tanta est amplitudo ac profunditas, ut studiorum curriculum statutum, in seminariis majoribus percurrendum, reconditis harum scientiarum eruendis thesauris minime sufficiat. Permagni tamen interest, ut Ecclesiae hisce in regionibus militanti nunquam desint viri iisdem disciplinis eruditissimi, qui causam veritatis strenue et invicte tueri valeant contra omnigena errorum monstra et opinionum deliramenta, nostra praesertim aetate, ex insanae philosophiae latebris in dies emergentia; aut in seminariis nostris magisterium exercentes scientiae augendae prosint; vel etiam in causis ecclesiasticis pertractandis utilem operam navare queant. Quamobrem magnopere optandum est, ut hisce in Statibus praeclarum quoddam scientiae existeret centrum, in quo juvenes ingenio et virtute praevalentes, consueto studiorum absoluto cursu, disciplinis theologicis, vel juri canonico, aut philosophicis una cum naturalibus scientiis aliisque quae viros ecclesiasticos nostrates decent, tres quatuorve annos impendere possent, ita ut, seminario tali semel incepto, haberetur nucleus vel germen quoddam unde, favente Dei gratia, perfecta suo tempore effloresceret studiorum universitas.

183. Re mature perpensa, convenerunt Patres, jam advenisse tempus, quo grande hoc opus inchoandum sit. Quod ut strenue urgeatur, visum est Concilio Commissionem instituere cujus erit, collatis consiliis id conniti, ut quamprimum fieri possit, Seminarium quoddam Principale pro Statibus Unitis Americae Septentrionalis prope civitatem quandam insignem ac populosam erigatur, ad quod undique clerici praestantioris ingenii, ordinarium

studiorum curriculum emensi, et etiam sacerdotes confluere possint, ad eminentissimam sibi comparandam scientiam. Hujusmodi seminarium omnimodae jurisdictioni, directioni atque administrationi Episcoporum eorumdem Statuum subjectum erit, ad quos spectabit studiorum rationem definire, leges disciplinae praescribere, professores ceterosque officiales instituere, aliaque omnia ordinare quae ad rectum seminarii regimen pertinent. Quoniam de facultate theologica et philosophica juxta normam Universitatis Catholicae agitur, leges regiminis et disciplinae ac rationis studiorum, postquam de iis inter Archiepiscopos et Episcopos deliberatum erit, examini et approbationi S. Sedis subjicientur, nec nisi hac approbatione obtenta vigorem habebunt.

184. Quo vero citius tutiusque coeptum ad felicem perducatur eventum atque exitum, ne pigeat Episcopos, ut verbis utamur Pii IX s. m., exhortari ac rogare egregios suarum dioecesium ecclesiasticos laicosque viros divitiis pollentes et in rem Catholicam praeclare animatos, ut suum aliorumque praeclarum sectantes exemplum, aliquam pecuniae vim perlibenter tribuere velint in Ecclesiae bono populorumque saluti tam utile opus. (Litt. App. ad Archiepp. et Epp. Imp. Austriaci, 17 Martii 1856.)

185. Curent autem Episcopi ut ad Collegium Americanum Romae[1] vel Lovanii existens, vel etiam Oenipontem, alumnos suos mittant, qui prae ceteris spem majoris profectus prae se ferant. Quae commendatio non minus etiam pro futuro tempore valet, quando Seminarium Principale jam fuerit institutum, cum hoc pro iis qui studia sua theologica jam absolverint, sit destinatum.

[1] Vide Litt. App. de Canon. Erect. in *Appendice*, p. 193.

CAPUT IV.

DE EXAMINE JUNIORUM SACERDOTUM.

186. Quum labia sacerdotis nunquam non debeant custodire scientiam, sacro presbyteratus ordine suscepto nemo putet studia abjicere sibi liberum esse ac integrum. E contra assidua et indefessa cura evolvenda ac fovenda sunt, quae ante Sacerdotium initum quasi jacta sunt semina. Quicumque enim sacrum animarum regimen aggreditur, magis magisque attendere debet sibi et doctrinae adeo ut quae jam didicerit, memoria retineat, quae autem nescit, ferventi et perpetuo conatu addiscat. Si quis vero scientiae lucernam alere desinat, mox in tenebris versabitur; in via caecutiet qui missus est ut sit dux populi in via salutis. "Numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?" (Luc. VI. 39.) Labor et oratio, haec sit vita sacerdotis; laborem ejus partim sibi vindicant studia, partim sacri ministerii functio. In desidiam si prolabatur, non solum in sacerdotalium morum ruinam et laqueos diaboli incidet, verum etiam labia ejus non custodient scientiam, et Dominus repellet eum. (Osee, IV. 6.)

187. Ad praecavendum ne apud juniores de clero sacrae scientiae studium unquam obtorpescat aut defervescat, mandamus ut omnes et singuli sacerdotes quotannis per quinquennium saltem a die suscepti presbyteratus, coram Episcopo ejusve delegato et examinatoribus cleri dioecesani, districte examinentur super variis praestitutis ecclesiasticae scientiae partibus, Scripturae scilicet Sacrae, Theologiae Dogmaticae et Moralis, Juris Canonici, Historiae Ecclesiasticae, rei demum Liturgicae.

188. Si quis forsan quaestionibus propositis, uti par est, non satisfecerit, quinque annis elapsis, tot iteratis

examinibus subjicietur, quot nulla vel insufficientia ab examinatoribus fuerint declarata. Idem statuimus quoad eos qui quacumque de causa, dispensatione non obtenta ab Episcopo, examen praescriptum non subierint.

De singulis autem examinatis scripto exaretur judicium in Episcopi archivo diligenter custodiendum. Inde fiet ut sacerdotum indoles ac doctrina superioribus ecclesiasticis magis magisque patescant, quod non parum proderit in assignandis missionibus.

CAPUT V.

De Collationibus Theologicis.

189. Clericorum educationem et instructionem, decretis in hoc Concilio latis de seminariis et examine juniorum sacerdotum, sollicite promovere ac fovere studuimus, ideo quod pastores animarum, quorum est populum veritates revelatas docere, rite sacramenta administrare petentibus, atque secundum praescripta legis divinae et ecclesiasticae fideles prudenti consilio dirigere in viam salutis aeternae, docti et sapientes sint omnino necesse est. At parum clericis proderit sacris scientiis ineunte aetate sedulam operam navasse, si quum annis provectiores sunt, doctrinae et lectioni non attendant. "Aliqui nempe sacerdotes qui initio praeclarissime confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus, omni studiorum cura neglecta, pristinam Moralis Theologiae scientiam amittunt, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum confusaque ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur." (Bened. XIV. instit. XXXII. n. 4.) Quae de confessariis scite declarat sapientissimus

Pontifex, apte congruunt praedicatoribus qui libris et considerationi valedicunt.

190. Cum vero Episcopi invigilare teneantur, ne sacerdotum suorum imperitia populus sibi commissus detrimentum patiatur, ut tanto malo aditus praecludatur, volumus et edicimus, ut Ordinarii instituant perficiantque Collationes, seu coetus de rebus theologicis, "quae scientiae sacrae rudimenta in omnium mentibus conservent, praxim sanam ac uniformem pro animarum directione promoveant, intellectus inertiam depellant, ac abusus eliminandi opportunam praebeant occasionem." (Conc. Plen. Balt. II., No. 68.)

191. Omnes sacerdotes, sive saeculares sive regulares (cfr. supra decr. 88.), qui curam gerunt animarum, iis adsistere teneantur. Neque exemptos se esse existiment confessarii, qui quamvis certae ecclesiae non sint adscripti, confessiones tamen excipiunt religiosarum feminarum in earum domibus, aut laicorum in ecclesiis publicis. Qui absque legitimo impedimento et Ordinarii venia adesse saepius neglexerint, puniantur.

192. Pro civitatibus ad quas facilis patet aditus, quater saltem in anno, in districtibus vero ruralibus, ubi in unum locum venire difficilius esset, bis in anno, hujusmodi collationes ecclesiasticae habeantur; quaestiones de variis doctrinis et disciplinis ecclesiasticis, quae maxime idoneae sunt ad praxim regiminis animarum, schemate summa cura concinnato, quotannis clero proponant Episcopi. Casus conscientiae solutio ab omnibus qui coetui adesse debent, scriptis exaretur. Duo, quorum nomina sortito exiverunt ex urna continente schedulas, in quibus omnes inscripti fuere, responsa sua legant et casum discutiant. Aliis autem quaestionibus de Sacra Scriptura, Theologia Dogmatica, Jure Canonico, et Sacra Liturgia satisfiat ab iis quibus in antecedenti conventu praeses id curae demandaverit.

193. Ceterum quoad alia quae pro his collationibus regendis opportuna Episcopo videbuntur, normam certam statuat, et curet ut ab omnibus stricte servetur.[1] Saepius sacerdotibus verba S. Pauli ingeminet: "Attende tibi et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt." (I. Tim. IV. 16.)

[1] Vide normam a Benedicto XIII. pro clero Romano statutam, apud *Lucidi*, l. c., p. 383.

TITULUS VI.

De Catholica Juventutis Institutione.

CAPUT I.

De Scholis Catholicis, praesertim de Parochialibus.

§ 1. *De Summa earum necessitate.*

194. Si ullo unquam tempore, certo hac nostra aetate Ecclesia Dei et spiritus saeculi de educatione juventutis mirando quodam et acerrimo conflixere duello. Homines enim spiritu mundano penitus imbuti, jam multis ab annis, nullum non movent lapidem, ut Ecclesiae quod ipsa a Christo accepit (Matth. xxviii. 19.; Marc. x. 14) Catholicam juventutem docendi munus eripiant, et in manus societatis civilis tradant vel subdant gubernii saecularis potestati. Nec mirum hoc. Ex quo enim nequissimi illi spiritus indifferentismi, naturalismi et materialismi multorum animos ita invaserunt, ut finem ac felicitatem hominis non nisi in hac vita temporali et mundo materiali quaeri et inveniri posse somnientur; ea sane educationis ratio, quae hominem etiam ac praecipue ad vitam futuram et beatitudinem aeternam erigere et dirigere intendit, aliis quidem stulta et inutilis, aliis vero vel perniciosa et abolenda esse videatur necesse est. Ecclesia autem, cujus haec potissimum est missio super terram, ut singulos homines, in baptismate Christo renatos, jam a primo rationis usu in viis veritatis et justitiae

ad finem supernaturalem adducat, nequaquam sinere potest, ut parentes Catholici quorum tum jus tum officium naturale et divinum est Christianae filiorum suorum educationi consulere, educationem mere saecularem ipsis procurent, quippe quae eis media ad ultimum finem suum cognoscendum et assequendum necessaria suppeditare minime possit.

195. Inter eos, qui hanc educationem mere saecularem strenue advocant, non pauci quidem inveniuntur, qui nec religioni ullum damnum afferre, nec juventuti pericula parare velint. Attamen ex ipsa rei natura sequitur, et tristissima etiam experientia comprobatur, educationem mere saecularem paulatim ita degenerare, ut fiat irreligiosa et impia, adolescentium fidei et moribus maxime perniciosa. Si enim juxta verba Christi: "Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet" (Matth. VI. 24); si porro, juxta aliud ejusdem divinae Sapientiae oraculum, "Qui non est mecum, contra me est" (Luc. XI. 23); si denique Christus passim docet spiritum mundi odio quodam implacabili asseclas suos adimplere contra eos, qui Spiritu Dei aguntur; vix potest non fieri, ut juvenes spiritu saeculari a pueritia imbuti, non tantum obcaecati mundi amatores, sed eo ipso etiam contemptores Christi et adversarii Ecclesiae sensim sine sensu plerumque evadant. Clarissimis autem tam hostium quam domesticorum fidei testimoniis docemur numerum eorum, qui ob hanc inter alias principalem causam, quod educatione mere saeculari instituti fuerint, ab Ecclesia defecerunt, tam ingentem esse, ut inimicis quidem gaudendi, nobis autem dolendi locum ac rationem nimis abundanter praebeat.

196. Itaque parentes Catholicos non solum paterno amore hortamur, sed iis etiam omni qua valemus auctoritate praecipimus, ut dilectissimae proli suae, a Deo

sibi datae, Christo in baptismate renatae, et coelo destinatae, educationem vere Christianam et Catholicam procurent eamque totam ac toto infantiae et pueritiae tempore a periculis educationis mere saecularis defendant et in tuto collocent; atque ideo eam in scholas parochiales vel alias vere Catholicas mittant, nisi forte Ordinarius in casu particulari aliud permitti posse judicet.

197. Has quidem esse scholas in quibus parentes permulti saltem si non omnes et jure suo utentes et officio obsequentes, Christianam prolis suae educationem quaerere debeant et invenire possint, jam Patres Conc. Plen. Balt. I. lucidis verbis statuerunt. Decreto enim XIII. dicunt: "Hortamur Episcopos, et attentis gravissimis malis quae ex juventute haud rite instituta sequi solent, per viscera misericordiae Dei obsecramus, ut scholas unicuique ecclesiae in eorum dioecesibus annexas instituendas curent; et si opus fuerit et rerum adjuncta sinant, provideant ut redditibus ecclesiae cui schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur." Patres vero Conc. Plen. Balt. II., No. 430, docuerunt: "Optimum vero, immo unicum quod superest medium, quo gravissimis hisce malis atque incommodis [scilicet exitiali indifferentismi labi et morum corruptelae (No. 426) summo cum dolore deploratis] occurratur, in eo situm videtur, ut in singulis dioecesibus, unamquamque prope ecclesiam scholae erigantur in quibus juventus Catholica tam literis ingenuisque artibus quam religione ac probis moribus imbuatur."

Sacra etiam Congregatio de Propaganda Fide, die 24 Nov. 1875, ad Episcopos nostros instructionem S. Cong. Sancti Officii misit,[1] quo Sacrorum Antistites monentur, quacumque possint ope atque opera commissum sibi gregem ab educatione mere saeculari arcere. Esse "autem

[1] Vide in *Appendice*, p. 279.

ad hoc omnium consensu nil tam necessarium, quam ut Catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis haud inferiores. Scholis ergo Catholicis sive condendis ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adaequent omni cura prospiciendum" esse.

Denique in medium proferre juvat Epistolam Encyclicam Leonis PP. XIII. ad Episcopos Galliae diei 8. Febr. hujus anni 1884, qua necessitas educationis Christianae in scholis Catholicis tam moderatissimis verbis quam solidissimis rationibus a summa auctoritate docetur. "Interest quam maxime susceptam e conjugio Christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri et eas artes quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet cum institutione religiosa esse conjunctas. Alteras sejungere ab altera idem est ac reipsa velle ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur: quae disciplina fallax est, et praesertim in primis puerorum aetatulis perniciosissima, quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit. Omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cujusque liberi cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis quod fidei morumve integritatem offendat. Et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum, neque parentes per ullam causam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero, integritatis fidei custos et vindex quae delata sibi a Deo conditore suo auctoritate debet ad sapientiam Christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur praeceptis institutisque juventus quae in ipsius potestate sit, semper scholas quas appellant mixtas vel neutras aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum. Quibus in

rebus parendo Ecclesiae, simul utilitati paretur, optimaque ratione rei publicae consulitur. Etenim quorum prima aetas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adolescunt rerum maximarum quae in hominibus alere virtutum studia et appetitus regere rationi contrarios solae possunt. Cujusmodi illae sunt de Deo Creatore notiones, de Deo judice et vindice, de praemiis poenisque alterius vitae expectandis, de praesidiis coelestibus per Jesum Christum allatis ad illa ipsa officia diligenter sancteque servanda. His non cognitis, mala sane omnis futura est animarum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre possunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur."

198. Attamen quamvis necessitas et obligatio juventutem Catholicam in scholis Catholicis instituendi ex dictis luce clarius eluceat, aliquando contingere potest—sicut etiam instructio modo laudata innuit—"ut parentes Catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant, ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit necne, id conscientiae ac judicio Ordinariorum relinquendum erit; et tunc ea plerumque aderit quando vel nulla praesto est schola Catholica vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus. Tunc autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non conjunctum opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum."

Cum igitur ob causam sufficientem et ab Ordinario probatam, parentes ad scholas publicas filios mittere velint, dummodo necessariis cautionibus proxima peri-

cula removeantur, stricte praecipimus ne quis sive Episcopus sive presbyter, quod Pontifex per Sacram Congregationem diserte vetat, hujusmodi parentes a sacramentis quasi indignos sive intentis minis sive actu ipso repellere audeat. Quod multo magis de pueris ipsis intelligendum est. Quare pastores animarum dum fideles sibi commissos de scholarum harum periculis monent, summopere caveant ne immodico zelo ducti sapientissima Sanctae Sedis consilia et praecepta verbis aut factis violare videantur.

199. Quibus omnibus bene perpensis statuimus et decernimus:

I. Prope unamquamque ecclesiam ubi nondum existit, scholam parochialem intra duos annos a promulgatione hujus Concilii erigendam et in perpetuum sustentandam esse, nisi Episcopus ob graviores difficultates dilationem concedendam esse judicet.

II. Sacerdotem, qui intra hoc tempus erectionem vel sustentationem scholae gravi sua negligentia impediat, vel post repetitas Episcopi admonitiones non curet, mereri remotionem ab illa ecclesia.

III. Missionem vel paroeciam quae sacerdotem in erigenda vel sustentanda schola adjuvare ita negligat, ut ob hanc supinam negligentiam schola existere non possit, ab Episcopo esse reprehendendam ac quibus efficacioribus et prudentioribus modis potest, inducendam ad necessaria subsidia conferenda.

IV. Omnes parentes Catholicos prolem suam ad scholas parochiales mittere teneri, nisi vel domi vel in aliis scholis Catholicis Christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant, aut ob causam sufficientem, ab Episcopo approbatam, et cum opportunis cautionibus remediisque eos ad alias scholas mittere ipsis liceat. Quaenam autem sit schola Catholica Ordinarii judicio definiendum relinquitur.

§ 2. *De viis ac mediis Scholas Parochiales quam maxime Promovendi.*

200. Si ex una parte conscientias sacerdotum, fidelium atque imprimis parentum Catholicorum strictissime in Domino decretis supra datis oneramus, ex altera parte hoc etiam Nostrum esse et intimis cordibus sentimus et expressis verbis profitemur, scilicet pro viribus nostris providere et efficere, ut parentes Catholici non scholas qualescunque, sed bonas et efficaces "publicis scholis," ut instructio S. Congregationis monet, "haud inferiores" pro prole sua invenire possint. Itaque aliqua media proponere ac mandare placet, quibus adhibitis scholae parochiales ad eum utilitatis et perfectionis gradum eleventur, quem tum honor Ecclesiae, tum salus non solum aeterna sed etiam temporalis puerorum, tum denique generosa parentum devotio pleno jure postulant ac merentur. Haec autem media ea praecipue esse videntur, quibus efficiatur ut tum sacerdotes, tum laici, tum denique ludimagistri officia sua erga scholas et optime intelligant et fidelissime adimpleant.

201. Et primo ad sacerdotes quod spectat, statuimus ut jam in seminariis candidati S. Theologiae sedulo edoceantur, unum ex praecipuis sacerdotum officiis, praesertim hisce nostris temporibus, esse Christianam juventutis institutionem, eamque sine scholis sive parochialibus sive aliis vere Catholicis non esse possibilem. Itaque in studiis psychologiae, pedagogiae et theologiae pastoralis relatio specialis habeatur ad puerorum institutionem. Alumni etiam modum et methodum addiscant, qua catechismum et historiam sacram pueris lucide et solide explicare valeant.

Sacerdotes vero in cura animarum saepe saepius de gravissimo suo erga scholas officio in colloquiis et colla-

tionibus cum fratribus consilia conferant. Scholas suas sicut pupillas oculorum suorum diligant, eas frequenter, unamquamque partem earum semel saltem in hebdomade invisant et inspiciant, puerorum moribus invigilent, zelum eorum congruis mediis stimulent, catechismum et historiam sacram ipsi per se doceant, aut certe ut a magistris sodalibus congregationum rite doceatur, efficiant; ceteris studiis autem attentos oculos advertant, examinationibus publicis semel vel etiam bis in anno scholas suas notitiae fidelium subjiciant ac favori commendent. Operam dent ut in scholis adhibeantur semper libri a Catholicis scriptoribus concinnati. Sanctis motivis ducti haec omnia curent, insuper scientes non fore, ut ad rectoratum inamovibilem vel aliud munus promoveantur, si partes suas ergo scholas adimplere neglexerint.

202. Ad laicos quod attinet, hortamur et mandamus ut illorum mentes et ab Episcopo et a sacerdotibus ita instruantur, ut scholam parochialem quasi partem essentialem parochiae habere assuescant, sine qua vel ipsa parochiae in futuro existentia periclitetur. Plane igitur et solide doceantur scholam minime esse opus quoddam supererogatorium a sacerdote sive ad zelum suum superabundantem probandum, sive saltem ad tempus jucunde et honeste terendum sibi ipsi electum, sed onus et officium ab Ecclesia sacerdoti impositum et ab eo religiose exequendum, sed non sine adjutorio laicorum. Nec minori zelo ac prudentia e mentibus laicorum erronea illa opinio eradicetur qua opinantur, curam scholae ad illam tantum paroeciae partem pertinere, quae directe et actualiter ea pro sua prole utatur, imo vero obviis argumentis ipsis demonstretur, fructus et benedictiones quae ex fide moribusque in scholis parochialibus conservatis derivantur, in bonum totius communitatis redundare. Quibus omnibus efficietur, ut laici ad paroeciam pertinentes post ecclesiam parochialem

nullum alium locum in majori pretio habeant ac majori sollicitudine prosequantur, quam scholam parochialem, tamquam fidei morumque conservatorium ac juventutis, quae omnibus gaudio et solatio futura sit, seminarium.

Laici competentem et generosam sustentationem scholis suppeditent. Itaque unitis viribus studebunt, ut parochiae sumptibus et expensis pro scholis incurrendis semper pares sint. Commonefiant fideles "sive pastoralibus litteris sive concionibus sive privatis colloquiis, * * sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis Catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter Catholicos ceteris praestant divitiis ac auctoritate apud populum." (Instr. S. C.) Parentes igitur pro rerum facultate parvulam illam mensilem contributionem, quae pro singulis pueris exigi solet prompte et libenter solvant. Cetera autem parochiae membra redditus ecclesiae, in quantum pro scholarum sustentatione opportunum vel necessarium sit, creare et augere ne renuant. Omnes vero, sive parentes, sive alia familiarum capita, sive juvenes, suis propriis opibus praediti, parati sint nomina dare alicui societati pro unaquaque paroecia maxime commendandae, in plures jam introductae et ab ipso Summo Pontifice jamjam uberrimae benedictae, in qua, quamvis modicis, regularibus tamen contributionibus scholas adjuvent, easque, si non omnino, saltem in partem gratuitas (*free schools*) reddant. Opibus autem ad hunc sanctissimum finem generose ab omnibus collatis, hoc etiam efficietur, ut externus scholarum splendor et internum earum ornamentum crescere, numerus magistrorum commode augeri, scholares in classes minus numerosas dividi singulaeque classes aptius inter se distingui et secundum gradus disponi possint; quae omnia mirum in modum cooperabuntur, ut scholae nostrae ad altiorem perfectionis gradum promoveantur.

Laicis etiam jura quaedam et privilegia per statuta dioecesana accuratius definienda, quoad scholas concedantur; salvis juribus ecclesiasticis quoad magistros instituendos vel dimittendos, necnon quoad disciplinam, et directionem doctrinae.

203. Quoniam vero status et incrementum scholarum nostrarum maxime ab idoneitate magistrorum dependet, summa cura in eo ponenda est, ut non nisi boni et idonei praeceptores iis praeficiantur. Itaque statuimus ac mandamus, ut nemo ad munus docendi in schola parochiali in futuro admittatur, nisi qui praevio examine se habilem et idoneum probaverit.

Episcopi igitur intra annum a promulgatione Concilii unum vel plures sacerdotes rerum ad scholas pertinentium peritissimos nominabunt, qui "Dioecesanam Commissionem Examinationis" constituent. Nominabuntur usque ad revocationem, et nominati Episcopo in manus solemniter promittent, se munere suo juxta normam ab Episcopo sibi tradendam et ad finem, ob quem examen instituitur, pro viribus assequendum esse functuros. Hujus commissionis erit omnes magistros ac magistras, sive religiosos pertinentes ad congregationem aliquam dioecesanam, sive saeculares, qui munere docendi in scholis parochialibus in futuro fungi cupiunt, examinare, eisque, si idoneos repererint, testimonium idoneitatis vel diploma praebere, sine quo nulli sacerdoti fas erit magistrum vel magistram ullam (nisi jam ante celebrationem Concilii docuerint) pro schola sua conducere. Quod diploma ad quinque annos ac pro omnibus dioecesibus valebit. Quo tempore elapso, alterum et ultimum examen a magistris requiretur. Iis autem, quos in uno vel altero examine idoneos non repererint, diploma nequaquam dabunt, sed ad examen anni sequentis eos relegabunt.

Hoc examen semel in anno instituetur; pro sodalibus

ex congregationibus dioecesanis in domibus et temporibus de quibus examinatores cum superioribus convenerint; pro saecularibus tempore et loco ab examinatoribus designandis. Materiae et quaestiones pro examine in scriptis conficiendo a commissariis conjunctim praeparabuntur et die examinis vel ab uno ex ipsis vel ab alio sacerdote a praeside commissionis deputato, in epistola sigillo praesidis munita et coram examinandis aperienda proponentur, qui sub oculis commissarii vel deputati solutiones et responsa exarabunt. Scripta parte examinis ab examinatoribus cognita et recensita, examen orale quam primum habebitur coram tota commissione. Antequam e loco examinis discedant, examinatores triplicem elenchum conficient eorum qui in examine satisfecerunt, quorum unum pro sodali congregationis dioecesanae tradent ejusdem superiori, aut ipsi candidato si sit saecularis; alterum apud praesidem commissionis retinebunt; tertium autem ad cancellarium dioecesis transmittent.

Quando regularibus aut congregationibus quae suos habent superiores vel suas moderatrices generales juxta constitutiones a S. Sede approbatas, scholae parochiales commissae sunt, et Episcopus vel ex visitatione scholarum juxta const. *Romanos Pontifices* instituta, vel aliunde probatum habeat, alicubi ad docendum destinari magistros aut magistras ex istis congregationibus impares suo muneri, monebit superiorem ut intra congruum tempus provideat; quod si superior neglexerit, S. Congregationi nuntiandum est, ut opportunis remediis succurrat. Si in committendis scholis parochialibus certae pactiones ab Ordinariis quoad magistrorum aut magistrarum designationem et remotionem, aut methodum docendi scientias profanas cum superioribus congregationum initae sint aut in futurum ineantur, illae omnino serventur.

204. Praeter hanc commissionem ad magistros examinandos pro tota dioecesi institutam, Episcopi pro locorum

et linguarum diversitate plures "Commissiones Scholarum." ex uno vel pluribus sacerdotibus compositas ad scholas in civitatibus et districtibus ruralibus examinandas constituent. Munus autem harum commissionum erit, semel vel etiam bis in anno unamquamque scholam districtus sui visitare et examinare et accuratam de statu scholarum relationem ad praesidem commissionis dioecesanae pro notitia et actione Episcopi transmittere.

205. Ut autem sufficiens numerus magistrorum Catholicorum semper praesto sit, singuli vero eorum ad sacrum et sublime juventutis instituendae munus optime parati, monemus ut Episcopi quorum interest, vel ipsi per se, vel, si opus sit, etiam invocata auctoritate S. Congregationis, agant cum superioribus congregationum muneri in istis scholis docendi dedicatarum, ut quantum fieri potest scholae quae dicuntur Normales, ubi nondum existunt et earum necessitas apparet, instituantur in domibus opportunis, in quibus juniores ab expertis et maxime idoneis magistris in diversis disciplinis et scientiis, in methodo et paedagogia ceterisque ad utile scholae regimen pertinentibus protracto temporis spatio et diligentia vere religiosa instruantur.

206. Si autem, sicut jam alicubi factum est, sacerdotes sive saeculares sive regulares in pluribus provinciis nostris scholas normales ad magistros laicos vere Catholicos instituendos erigant easque bene regant, sane opus faciunt omni laude et auxilio dignum.

207. Haec omnia ab iis quorum interest, imprimis a sacerdotibus, viris laicis, magistris et parentibus Catholicis omni qua par est reverentia ponderentur et zelo religioso observentur, ut scholae nostrae parochiales magis magisque et numero et valore crescant, ac non tantum Ecclesiae, sed etiam reipublicae honor et decus, spes et columna in dies magis evadant.

CAPUT II.

De Superioribus Scholis Catholicis.

208. Cum in dies augeatur numerus juvenum Catholicorum, qui vel opibus vel ingenio vel utroque praestantiores scholis parochialibus absolutis ad altiorem educationis cursum adspirant, pauca quaedam de superioribus scholis Catholicis addere placet. Alii namque pueri Catholici mentes oculosque ad sacrum ministerium attollunt; alii liberalem, quam dicunt, professionem sibi adipiscendam proponunt. De iis, qui ministerio sacro sese mancipare desiderant, in collegiis et academiis Catholicis ac seminariis clericorum jam satis ample provisum est; ceteris vero plures, meliores ac tutiores viae ad fines suos assequendos omnino sunt aperiendae. Utinam jam nunc, quod certo venturum esse speramus, res ita disponi et stabiliri possint, ut juvenes Catholici ex Catholicis scholis elementaribus in Catholicas scholas superiores intrare et per eas ad metam desideriorum suorum accurrere possint. Nimis frequenter enim accidit, ut ii qui pueri pii ac puri e sinu familiae Christianae et de sub tecto scholae Catholicae in collegia acatholica transeunt, scientia quidem inflati, caritate vero, i. e. fide moribusque Christianis privati revertantur.

209. Monemus igitur et in Domino obsecramus fideles nostros, ut unitis viribus felicem illum rerum statum accelerent, quo academiae, collegia, universitates Catholicae tam numerosa sint tamque excellentia, ut omnes ad unum juvenes Catholici omnia quae ipsis addiscenda vel a parentibus proponuntur, vel ipsi sibi eligunt, in scholis Catholicis invenire possint!

210. Quod ut quam primum eveniat, parentes in Domino hortamur, ut adolescentes suos, quibus, scholis parochalibus absolutis, superiorem educationem procurare velint, in Catholicas scholas superiores jam nunc existentes mittant. Si vero scholae Catholicae filiis suis pro speciali quem sequuntur studiorum cursu desint eosque ob hanc causam in scholas acatholicas mittere cogantur, enixe eos monemus, ut fidei morumque pericula a filiis suis quam longissime removeant, verbi Domini semper memores: "Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur." (Matth. XVI. 26).

211. Eos vero ex fidelibus nostris, qui copia rerum temporalium ditati sunt, per viscera misericordiae Dei rogamus ac pro Catholici nominis honore obsecramus, ut ad collegia Catholica fundanda augendaque thesauros suos aperiant, hoc potissimum fine, ut adolescentibus pauperioribus, qui ingenio, indole moribusque futurae bonitatis, utilitatis, imo forte excellentiae solida indicia prae se ferunt, viae aditusque patefiant. Summo cum gaudio jam compertum habemus in nonnullis dioecesibus viros Catholicos nobiles, generosos hoc caritatis vere Catholicae opere studiosae juventutis gratias, omnium bonorum plausum, Summi Pontificis approbationem, nec non Dei O. M. benedictionem sibi meruisse. Utinam in omnibus dioecesibus viri ditiores nobilissimum eorum exemplum imitentur, et ita quidem, ut in futuro necessarium non sit, quod in praeterito non sine rubore fieri debebat, scilicet viros Catholicos monere, ut ab iis qui foris sunt, vel etiam ab ipsis inimicis Ecclesiae partes suas hac in re discant.

212. Moderatores denique et professores collegiorum nostrorum gravissimi ac sanctissimi muneris sui semper memores esse in Domino hortamur. Ipsis enim commissi sunt ii, qui Ecclesiae et reipublicae plus ceteris aut

honori et saluti aut pudori et periculo futuri sunt. Eorum enim discipuli hominum minus cultorum erunt duces et directores; scriptis et verbis, in cathedra et in rostris, in foliis publicis et conciliis privatis, scientiis et commerciis, in omnibus denique vitae viis et circumstantiis aliorum mentes dirigent et ad partes et consilia sua, aut bona et utilia, aut mala et nociva, adducent. Tales autem optimis in adolescentia sua imbuendos esse principiis optimisque cogitandi, dicendi, agendique rationibus, majoris quam dici potest est necessitatis. "Adolescens," enim, "juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea." (Prov. XXII. 6.) Praeceptores igitur moribus eorum sedulo invigilent. Non solum curent ut inter collegiorum muros a malo arceantur, sed etiam ab illecebris, quae in civitatibus et oppidis vicinis existunt, eos maxima cura custodiant nec proinde eos in civitates et oppida exire permittant, nisi magnis cum cautionibus pro morum ipsorum incolumitate. In doctrina Christiana autem per totum studiorum curriculum non obiter et cursivo quodam modo, sed apprime et solide eos instruant. Armatura veritatis ita eos induant et obarment, ut nullo vitae tempore errorum insidiis et telis succumbere, sed econtra ipsos debellare et devincere fortiter possint. Suas quisque igitur vires summamque ambitionem omnes eo dirigant, ut discipuli sui in artibus et scientiis alumnis vel optimae cujusvis scholae acatholicae sint aequales, morum vero probitate ac puritate omnibus antecellant. In tam arduo labore ne animo unquam deficiant! Pro honore enim Dei et Ecclesiae gloria, pro salute societatis humanae et rei publicae incolumitate se certare sciant, nec unquam gloriosissima illa verba prophetae ab oculis amittant: "Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates." (Dan. XII. 3.)

213. Pro rerum nostrarum adjunctis et civilis societatis in his regionibus permistione saepe contingit, ut parentes acatholici pueros et puellas suas nostris scholis superioribus committant, quae ideo fiunt scholae plus minusve mixtae. Constat enim multos acatholicos etsi rei Catholicae fautores minime esse velint, sacerdotes tamen nostros et religiosos, ac praecipue religiosas, tanta fiducia dignos habere, ut sub eorum directione et protectione, doctrina et exemplo prolem suam in tuto collocatam esse credant. Quamvis alienos recipere non absolute prohibeamus, enixe tamen superiores hortamur ut moribus omnium alumnorum eo religiosius invigilent, quo magis permixti sunt, ut non solum Catholici ab acatholicis nullum detrimentum, sed nec acatholici a Catholicis ullum scandalum patiantur.

Alumni Catholici vero in his scholis mixtis majori quo fieri potest studio in operibus pietatis et devotionis exerceantur et in omnibus rebus divinis tam lucide ac solide instruantur, ut periculum indifferentismi, si forte ex tam arcto cum acatholicis commercio oriri videatur, prorsus tollatur. Disputationes de rebus religiosis, absentibus ac insciis magistris, ne habeantur, per regulas scholae stricte prohibeatur. Non enim strepitu verborum et argumentorum certamine, sed potius precibus et virtutum exemplis praeceptorum et alumnorum catholicorum, qui speciali quodam modo sunt proles benedicta et proprius Ecclesiae fructus, efficietur, ut ii qui foris sunt, ad unitatem Ecclesiae revertantur, verbo Salvatoris ducti: "Omnis arbor bona fructus bonos facit." (Matth. VII. 17.)

TITULUS VII.

De Doctrina Christiana.

CAPUT I.

De Praedicationis Munere.

214. Quum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas pascere verbo divino, jubent Conc. Tridentini Patres ut "quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes, ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant." (Sess. v., de Ref. c. 2.)

215. Imprimis salutaribus verbis pascendae sunt oves Christi. Evangelium ergo illibatum diligenter et absque ullius erroris suspicione concionator sacer exponat. Et cum fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei (I. Cor. II. 5.), infallibili Ecclesiae magisterio fretus loquatur tanquam auctoritatem habens. Fidelium mentes praemuniat contra indifferentismum et haereses apud nos grassantes, ut auditores parati sint satisfactionem dare omni poscenti. (I. Petr. III. 15.) Attamen zelus qui est secundum scientiam non sinet ut hetero-

doxis, si qui forte concioni adsint, justa detur offensae causa. Mandata legis sedulo animis inculcet pastor animarum, qui si spiritu Christi agatur, certe neque rigidiores quam par est sententias proponet neque vitiis habenas laxabit.

Serio monemus praedicatores ac etiam scriptores Catholicos ut profanas vocum novitates devitent (I. Tim. VI. 20); in iis enim dolus et periculum saepenumero latent. Ineptae autem et aniles fabulae ne e suggestu enarrentur ipsa ratio suadet. Hoc modo doctrina Catholica non illustratur, sed acatholicorum ludibrio exponitur cum rubore et scandalo fidelium.

Qui pro Christo, cujus regnum non est de hoc mundo, legatione funguntur (II. Cor. V. 20) caveant ne temere de rebus politicis aut aliis quae minime ad eorum ministerium pertinent sermones ad populum faciant. De stipendiorum aut reddituum tenuitate saepe saepius verba facere, praesertim asperiori modo, summopere dedecet ministrum Christi et locum sacrum.

Demum concionator neminem adstantium, quae intolerabilis audacia foret, nominatim reprehendat, aut insidiosa verborum circuitione ita notet designetque ut ab omnibus nosci facile possit. Ad privatam injuriam ulciscendam sacro loco et tempore abuti nequaquam audeat. (Conc. Plen. Balt. II., No. 140.) Quod si perverse ita facere praesumpserit, Episcopus ei poenas graviores irroget.

216. Deinde sermo sit *facilis* id est auditorum captui accommodatus, quin sit rudis, insulsus. Doctis aeque et indoctis, sapientibus et insipientibus debitores sumus (Rom. I. 14.), ut plures et si fieri potest, omnes lucrifaciamus. Ideo firmiter persuasum habeat concionator in hoc sancto ministerio adhibendam esse praeparationem diligentem. Semen verbi quod spargere debet in animis et cordibus auditorum, comparatur attenta lec-

tione Sacrae Scripturae, theologiae, historiae ecclesiasticae et pia rerum aeternarum meditatione.

Tertio *brevis* sit oratio evangelica. Non opus est longa concione speciatim inter missarum solemnia. "Neque verendum est ne cuipiam minus placeat brevitas, quam rerum dicendarum gravitas et grata quaedam orationis varietas comitetur." (Ibid. No. 144.)

Postremo *assidua* sit verbi Dei praedicatio. Hinc Tridentini Patres jusserunt ut rectores animarum non solum dominicis et festis diebus solemnibus, verum etiam tempore jejuniorum Quadragesimae et Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerit Episcopus, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntient. (Sess. XXIV., de Ref. c. 4.)

Fertur, quod maximo cum dolore audivimus, non paucis in locis plerosque fideles fere nunquam audire verbum Dei; siquidem necessitate coacti, aut voluntate, missis privatis assistunt dominicis diebus, inter quarum celebrationem ne una quidem vice, toto anno, pascuntur salutaribus verbis. Itaque mirum non est, si veritates diminutae sunt a filiis hominum (Ps. XI., 1.), si multi parentes, eorum filii, famuli aliique plurimi nostris diebus periculorum plenis, ex ignorantia mysteriorum fidei objiciuntur discrimini aeternae perditionis.

Efficacibus remediis tanto malo occurrere cupientes, praecipimus, ut diebus dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes qui curam habent animarum, per se aut, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos inter celebrationem omnium omnino missarum quibus adstant fideles, sive illae missae sint cantatae, sive privatae, vel etiam valde mane celebrentur, Evangelium diei occurentis lingua vernacula distincte legant, atque si tempus patiatur, per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant, omni consuetudine aut praetextu in contrarium non obstante.

Quod si quis obstinate neglexerit, ab Ordinario severe puniatur. Sermo vero proprie dictus habeatur in missa ultima quae apud nos missa communitatis sive parochialis reputatur.

Ut autem quam maxime utiles evadant hujusmodi conciunculae, sacerdotibus impense suademus ut non solum ex evangelica lectione monita salutaria depromant, sed doctrinam Christianam apte tradere studeant, etiam secundum ordinem Catechismi Tridentini ad Parochos, vel dioecesani, aut etiam alterius probati auctoris. Sic sermonum argumenta prae manibus semper habebunt et minus facile assuescent populum vulgatis quibusdam docendi modis quibus fit ut quaedam praecipua discipulorum Christi officia et fidei mysteria silentio praetermittantur.

Denique Christum imitari studeant verbi Dei praedicatores; sint sancti, mundo crucifixi, fide pleni et caritate incensi ut divini Praeceptoris more faciant et doceant.

CAPUT II.

De Catechismo.

217. Omnibus quidem, sed parvulis potissimum et rudibus mysteria regni Dei revelantur ministerio Sanctae Matris Ecclesiae, quae semper omni ope et opera contendit, ut lacte coelestis doctrinae jugiter enutriantur. Hinc sacrosancta Tridentina synodus Episcopis mandavit ut saltem dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta docere curarent. (Sess. xxiv., de Ref. c. 4.) Ad rectores animarum spectat per seipsos pascere gregis sui agnos. Patris nomine prorsus indignus foret ille, qui filio fame pereunti panem frangere inique recusaret. Volumus ergo, ut rectores ecclesiarum

vel eorum vicarii saepius adeant dominicis diebus scholas catechismi, ferialibus autem parochiales, ac etiam collegia seu gymnasia et academias puerorum et puellarum quae a sacerdotibus non reguntur. Praeceptores sacerdotali charactere non insigniti, sive religiosi sive laici, magno equidem sunt adjumento in juvenum institutione, at munus verbi Dei docendi sibi proprium non habent. "Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus." (Mal. II. 7.)

218. Jubemus ergo ut parvulorum curam assiduam habeant animarum rectores, praesertim quo tempore parantur ad sacram synaxim prima vice recipiendam, et quidem ut ipsimet rectores vel eorum vicarii praedictos parvulos saltem per sex hebdomadas et ter in unaquaque hebdomada (saltem in loco ubi resident vel ad quem facilius accedere possunt), catechismum doceant. Nemo ad confirmationis susceptionem admittatur, quin diligenter instruatur de iis, quae ad naturam effectumque hujus sacramenti spectant. Episcopum itaque, confirmationem adolescentibus collaturum hortamur ut confirmandos sive per se sive presbyterum in doctrina Christiana examinet. Satagant insuper rectores, ut pueri puellaeque post primam suam communionem per duos subsequentes annos Catholicam doctrinam suaque munera Christiana melius edoceantur.

219. Magni refert, ut catechismus perfectus sit numerisque omnibus absolutus. At plures catechismi qui apud nos adhibentur, manci, non satis parvulorum intelligentiae accommodati aut alia ratione mendosi sunt. Praeterea ex eo quod multi inter nostrates saepe sedes mutent, aut varias scholas pueri eorum frequentent, nemo non videt quam magna incommoda oriantur ex varietate et numero catechismorum, qui in his provinciis circumferuntur. Re igitur mature perpensa statuimus ut comitatus instituatur Rmorum. Episcoporum quorum

erit: 1° Catechismum seligere et si opus fuerit emendare, aut de novo exarare, prout magis necessarium et opportunum aestimaverint. 2° Opus suum ita perfectum ad coetum Rmorum. Archiepiscoporum remittere qui denuo catechismum recognoscent, et typis accurate mandari curabunt. Hoc catechismo in lucem edito quamprimum uti teneantur omnes animarum curam habentes, et praeceptores tam religiosi quam laici.

Quoniam vero novus iste catechismus anglice conscriptus eo fine parabitur ut non solum inserviat uniformitati promovendae, quo incommoda supra memorata tollantur, sed etiam conditioni ac statui fidelium nostrorum magis adaptetur, valde in votis habemus, ut a fidelibus aliarum quoque linguarum in eorum idioma conversus adhibeatur. Praeterea cum liberi ex familiis sive Germanicis sive Gallicis sive alterius nationis exorti non raro tempore subsequenti ad illas ecclesias Catholicas transeant, in quibus doctrina Christiana lingua anglica praedicatur, commendamus ut adolescentes qui utramque linguam callent ac inter anglice loquentes toti versantur, praedictum catechismum in lingua quoque anglica addiscant.

CAPUT III.

De Libris Precum.

220. Libri precatorii, quorum infinitus prope est numerus, saepius a scriptoribus imperitis concinnati, a vera et salubri orandi norma quam Ecclesia in sacra liturgia proponit, longius in dies abire videntur. Praecipimus ergo ut Episcopi examinatorum synodalium aut viri alicujus docti et pii censurae subjiciant omnes hujusmodi libros. Nec audeant typographi in lucem illos edere, aut Sacram Scripturam, catechismos, narrationes

miraculorum, folia orationum, et generatim omnes libros de fide et moribus ex professo tractantes, quin prius censurae debitae subjecti et licentia Ordinarii eos typis mandandi rite muniti fuerint, ut lectores sciant nihil in eis reperiri quod fidei aut moribus repugnet. Idem statuimus de novis hujusmodi librorum editionibus.

221. Dolendum sane est, quod non pauci ex Catholicis Ecclesiae regulam modumque orandi fere penitus ignorent. Hac ergo aetate nostra, quum homines rebus mundanis inhiantes ea quae sunt Dei difficile intelligant, sacerdotibus magnopere incumbit, ut saepius e suggestu, aut catechizando parvulos, ritus et preces Ecclesiae fideliter et clare exponant. Monuit jam S. Tridentina synodus, ut parochi et singuli curam animarum habentes frequenter ex iis quae in missa leguntur aliquid exponant, et praesertim sanctissimi hujus sacrificii mysteria declarent ut fideles, qui et ipsi dum Novae Legis sacrificium ministerio sacerdotum offertur ejus fiunt participes, abundantiores gratias et fructus spirituales exinde percipiant. (Sess. XXII., de Sacr. Missae c. 8.) Simili modo, ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecepit eadem S. Synodus singulis parochis ut pie prudenterque, etiam lingua vernacula, sacramentorum vim, usum et ritus populo exponant. (Sess. XXIV., c. 7 de Ref.) Quod vero generatim orandi normam spectat, in confesso est illam Breviarii Romani omnium esse perfectissimam, utpote quod eloquia divina, sententias patrum et cantica sacra in unam omnium ac multifariam orationem mirifice componat.

Jam vero nemo non videt quantum hac in re utilitatis fidelibus afferatur, si selectarum precum et rubricarum tum Missalis et Breviarii tum Ritualis versionem fideliter exaratam in libris precatoriis prae manibus habeant. Probe quidem novimus in paginis unius libri precum

non omnes illos thesauros absconditos colligi posse; at nonnullos inter pretiosiores seligere licet, ita ut sacrae liturgiae flores et germina quasi hortus paradisi legentium menti objiciantur.

222. Quum omnibus notum sit preces quae apud fideles usitatae sunt, haud raro vitiis literarum laborare et nonnunquam a tramite sanae doctrinae abire; quinimo easdem preces, sive ab origine anglice conscriptas sive ex latino in anglicum conversas, saepe inter se discrepare et cum exemplari originali minime concordare; statuimus ut in dicto libro precum tradantur exemplaria ad unguem castigata omnium precum, hymnorum, psalmorum, et cantuum, qui communiter apud fideles publice in Ecclesia recitantur, et ut Episcopi sedulo invigilent ne ex supradictis orandi formulis quaevis in lucem edatur quin cum exemplari ad amussim concordet.

223. Librum Precum ad normam supradictam scite exaratum fidelibus Nobis commissis maxime utilem et gratum fore arbitramur. Decernimus itaque ut comitatus Patrum hujus Concilii Plenarii constituatur praeside Rmo. Delegato Apostolico, qui gravissimam hanc rem viris piis ac sacrae liturgiae peritis committet et curabit ut sine mora opus quantocius perficiant. Episcoporum coetus librum rigido examini subjiciat, Revmis. Archiepiscopis transmittat, qui denuo librum recognitum, sicut dictum est de catechismo, praelo accurate mandabunt.

CAPUT IV.

De Libris et Ephemeridibus.

224. Cum typographicae artis tanta sit vis et efficacitas, prout veritati aut errori servit, ut plurimum afferat boni aut mali, officii esse Nostri duximus, paucis declarare quo pacto fideles vitare possint mortifera tela eorum qui, suadente illo antiquo mendacique hoste generis humani, intactum nihil relinquunt ut evertant regnum Christi in terris omnigenis scriptis, quibus fides in mentibus, mores in cordibus destruantur. Compertum est abusum egregiae artis typographicae malum esse praecipuum nostrae aetatis quae "non jam libertas, sed effraenata scribendi quae libeat typisque imprimendi licentia, instar fluvii ruptis aggeribus ripas praetergressi, in immensum excrevit totumque qua late patet orbem impiis, pestiferis, in probos mores, Ecclesiam Deumque ipsum injuriosis et contumeliosis scriptis innundavit. * * * Quodque maxime dolendum est, nonnulli ex his libris, novellis, diariis, foliis publicis aliisque hujusmodi, quorum scriptores religionem et morum honestatem, si non aperto marte, at insidiose et quasi cuniculis aggrediuntur et evertere student, a Catholicis hominibus emuntur, aut eorum aere collato juvantur et sustentantur, in eorum domos recipiuntur, et ab eorum liberis et domesticis lectitantur." (Conc. Plen. Balt. II., No. 493 sq.) Haec autem vel ab Apostolorum aetate fuit Ecclesiae disciplina (Act. xix. 18, 19), ut libri nocuae lectionis severe prohiberentur, cui concordant leges a Concilio Lateranensi V. latae et a Synodo Tridentina renovatae quae etiam voluit Indicem librorum confici. Ex alto vero apostolatus culmine, diebus nostris praesertim, Summi Pontifices pluries gravissimis verbis Episco-

porum vigilantiam excitare non praetermiserunt. (Litt. Encycl. Pii IX. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846, et Leonis XIII. *Etsi Nos*, 15 Feb. 1882.) Patres etiam superioris Concilii Plenarii singulos animarum pastores enixe hortati sunt "ut fideles sibi commissos et praesertim patresfamilias saepe graviterque moneant ut libros quoscumque, quibus religio aut boni mores laedi aut violari possunt, procul a se suisque domibus arceant, seduloque invigilent ne filiorum aut domesticorum manibus terantur." (No. 495.) Haec omnia jure merito dicta sunt, siquidem lex divina vetat ne periculo proximo naufragium faciendi circa fidem aut bonos mores quis temere se exponat.

Confessarii et concionatores sedulo prae oculis habeant regulas a theologis traditas circa eos qui libros, diaria, aliaque scripta vel damnata vel damnanda legunt aut retinent, easque in praxi applicare studeant. Auditores suos doceant gravis delicti reos esse qui legunt et apud se retinent absque justa causa libros perniciosos. Argumenta et exempla illis non deerunt, quibus facile monstrabunt, omnes etiam optimae indolis homines, qui temere pravis lectionibus sese dederunt, infici lue exitiali quae lumen fidei in mentibus extinguit et morum castitatem corrumpit. Illis etiam impense suadeant ut novellas et ephemerides saeculares parce legant, quamvis mali prae se aperte non ferant suspicionem. Nam assidua eorum lectione grandis fit jactura temporis, mens ad meras vanitates et insanias falsas plus aequo convertitur, et devotio minuitur. Quae potiori ratione dicta volumus de clericis, qui forma facti gregis ex animo pro posse lectionibus sacris et regimini animarum toti incumbere debent.

225. "Quod si perversos libros et libellos" ac etiam ephemerides "omni qua pollemus vi e medio tollere debeamus, nihil ex parte nostra praetermittendum opor-

tet, ut libri salubres sanae doctrinae et qui vere prosint legentibus, locum pravorum suppleant vel praeoccupent. * * * Haud multum sane laudis in eo est ut, quod impii homines in causa pessima faciunt, nos in optima faciamus, quemque ii perdendis animabus impendunt laborem, nos eundem in servandis impendamus: at eos ne ulla quidem ex parte aemulari, turpissimae ignaviae est." (Conc. Plen. Balt. II., No. 498, 501.) Scripta Apostolorum et sanctorum Patrum fidem faciunt libris aeque ac praedicatione fortiter crescere verbum Dei et confirmari. Nefas ergo est arte typographica non uti ad defensionem et propagationem fidei, et validissimum telum in manibus hostium relinquere. Ut bonum malo opponamus, iterum promulgamus quae in superioribus conciliis sapienter hac de re decreta fuerunt. Clerici et laici qui necessariis dotibus pollent omni studio, ope et arte bonas litteras excolant. Ecclesiae doctrinam, mores, jura tueantur; parva scripta quae longe lateque disseminentur, frequenter edant, Episcoporum praesidio. Maxima commendatione dignae sunt societates ad evulgandos libros et tractatulos catholicos. Episcopi eas foveant animosque addant typographis Catholicis, ut eorum opera bonum semen verbi ubique spargatur; quod aliquo modo fiet si rectores ecclesiarum satagant bonos libros suppeditare erigendo bibliothecas in suis parochiis.

226. Eos igitur clericos et laicos omni laude dignos habemus, qui aut libris sive parva sive magna mole scribendis, aut ephemeridibus concinnandis rem Catholicam apud nos hactenus tutari et amplificare contenderunt. Praeclara eorum in Ecclesia merita Patres non solum in amplissimo hoc conventu grato animo commemoranda, verum etiam, ut par est, praedicanda, commendanda et laudibus extollenda judicaverunt. Memoria eorum in benedictione erit, quum a piis laboribus qui-

everint et talenta a Deo accepta multoque foenore aucta in Ipsius manus tradiderint. Utinam non deficiat, immo augeatur in dies numerus eorum, qui ad bonum certamen magno animo et corde bono et optimo certandum accingantur!

227. Ad ephemerides quod spectat, valde optamus ut haberi possit una pro singulis provinciis, quae commendetur et foveatur et, si necesse fuerit, etiam ope pecuniae sustentetur ab Episcopis, sive id fiat in conciliis provincialibus sive aliter, ut ipsi melius judicaverint. Ephemerides seu folia, ut vocant, dioecesana commendamus quidem, quum legantur apud ruricolas potissimum et aditum praecludant lectioni foliorum quae dominicalia apud nos vocantur, quaeque plurimum fidei et moribus nocent, sed adhuc melius et salubrius populo Catholico consulendum fore judicamus, si una habeatur ephemeris pro provincia. Facilius est enim, quum una sit, ut scriptorum ingenio praestantium opera uti possit, et perfectior in dies evadere.

Valde optandum est ut in quadam ex urbibus majoribus habeatur folium diurnum, quod opibus, auctoritate scriptorumque ingenio et pondere folia profana adaequet. Necesse non est, ut Catholicum nomen praeseferat. Sufficit ut, praeter facta recentia et ea omnia quae in ceteris foliis avide expetuntur, religionem Catholicam, ubi propitia occasio se praebet, defendat ab hostium incursibus et mendaciis, ejusque doctrinam exponat, praeterea totum id, quod scandalosum et lubricum est, sedulo a legentium oculis arceat.

228. Dum Catholicas ephemerides commendamus, fideles etiam monitos volumus, non omnes quae Catholicum nomen jactant, esse vere Catholicas. Scriptores earum Catholico nomine gloriantur, sed exemplo suo et scriptis sanctum illud nomen dedecorant et ludibrio exponunt. Opiniones enim suas in vulgus spargunt

quae sunt saepe nimis nihil aliud quam commenta incredulorum et novatorum de origine societatis humanae et de potestatis civilis limitibus. Praeterea, aut insidiis, fraude, mellitis verbis auctoritatem Ecclesiae subvertere conantur aut in eam aperta fronte debacchantur. Ephemeris Catholica ea tantum habeatur, quae doctrinam Ecclesiae exponit ac tuetur, Ecclesiae progressus domi forisque narrat, et auctoritati ecclesiasticae in omnibus subjacere parata est. Neque tamen omnia quae in foliis etiam vere Catholicis inveniuntur, habenda sunt quasi ab ipsius Ecclesiae vel Episcopi auctoritate derivata. Qua in re ne fallerentur incauti lectores, optime jam providerant Praedecessores nostri his verbis: "Ut vera *relatio*, ut loquuntur, Ordinarii ad folia ecclesiastica seu ephemerides Catholicas recte et perspicue intelligatur; ut demum nullus aut nostris aut adversariis supersit dubitandi aut cavillandi locus, Patres hujus Concilii Plenarii profitentur atque declarant, approbationem Ordinarii, quae de more foliis Catholicis datur, nihil aliud sibi velle, quam judicare Episcopum nihil a scriptoribus contra fide et mores proferri, spem quoque bonam se habere nihil in posterum proferendum, eosque esse redactores quorum scripta ad aedificationem utilia esse possint; Episcopum vero neque posse neque debere respondere ac rationem reddere de iis universe, quae in hujusmodi foliis habentur, sed de iis tantum, quae vi officii sui docendo, monendo, jubendo aut vetando in vulgus ediderit, et quibus sua ipse manu subscripserit. Atque haec quidem posthac in pastorali hujus Concilii epistola anglico sermone conscribenda, ut ad omnium ad quos spectat, notitiam deveniant, disertius ac fusius commemoranda atque explicanda decernimus." (No. 508.)

229. Quamobrem vehementer obtestamur atque obsecramus omnes, sive clericos sive laicos, quibus hujusmodi ephemeridum cura commissa est, ut tam fide et con-

stantia in obeundo munere quam vita et moribus, se fideli populo commendent. Imprimis autem opus est, ut quaecumque scribunt ipsi aut ab aliis scripta foliis suis inserunt, ad Christianae charitatis ac modestiae leges exigant. Etiam ubi de sanctissima nostra religione ab obtrectatorum criminationibus et calumniis defendenda agitur; illud sibi propositum habeant, divinae veritatis hostes argumentorum gravitate retundere, non verbis asperioribus, maledictis et dicteriis insectari. Quod sane postulat aequitas et ipsa causae sanctitas quam sibi tuendam assumpserunt. Neque aliter agendum, ubi inter Catholicos viros, salva fide, aliqua controversia existet. Si a Catholici cujuspiam scriptoris placitis dissentire libeat, dissentiant quidem; temperate tamen id fiat et sine acerbitate. In hominibus enim "bonae voluntatis" Christiana charitas cum opinionum dissidio optime consistere potest. Addere placet gravissimam Summi Pontificis Leonis XIII. auctoritatem, cujus haec sunt verba: "In controversiis agitandis cavendum est ne modus transiliatur, quem aequitatis caritatisque leges praescribunt; neve temere insimulentur vel in suspicionem adducantur viri ceteroquin Ecclesiae doctrinis addicti, maxime autem qui in Ecclesia dignitate et potestate praecellunt." (Litt. *Licet multa*, 3 Aug. 1881.)

230. Erubescimus quidem et maximo animi dolore commovemur, quod nos pastoralis officii ratio Catholicarum ephemeridum scriptores iterum atque iterum monere cogat ne per se ipsi, neque per scriptores auxiliarios, viros ecclesiasticos et maxime Episcopos lacessant eorumque sententias, decreta et alia quae in administranda dioecesi constituerint, audacter arbitrio suo metiantur, dijudicent, improbent, atque hac ratione fidelibus et acatholicis contemnenda et irridenda proponant. Apostoli potius (Hebr. XIII. 17.) praecipientis

auctoritate permoti discant praepositis suis obedire iisque subjacere. Obsequium hisce praepositis debitum exemplo suo scriptisque commendent. Animum etiam iterum advertant ad sapientissima Summi fidelium Patris ac Magistri consilia et praecepta: "Imprimis sanctum sit apud catholicos scriptores Episcoporum nomen; quibus in excelso auctoritatis gradu collocatis dignus officio ipsorum et munere habendus est honos. Neque licere sibi homines privati putent in ea quae sacri Pastores pro potestate decreverint, inquirere; ex quo sane magna perturbatio ordinis consequeretur et non ferenda confusio. Atque istam reverentiam, quam praetermittere licet nemini, maxime in catholicis auctoribus ephemeridum luculentam esse et velut expositam ad exemplum necesse est." (Litt. SS. D. N. Leonis XIII., *Cognita Nobis*, 25 Jan. 1882.)

231. Verum huic malo quod apud nos, magno fidelium ipsorumque acatholicorum scandalo serpit ac in dies crescit, ne augeatur et passim impune grassetur, occurrendum esse censemus non monitis solum et hortamentis sed etiam poenis ecclesiasticis. Quamobrem si qui in posterum clerici vel laici, sive per se, sive per socios aliosve ab ipsis concitatos, in foliis quibusvis publicis aut libellis in vulgus editis ecclesiasticos viros, praesertim in dignitate constitutos, verbis injuriosis, maledictis, conviciis adoriantur; multo magis, si Episcopi agendi rationem in dioecesi regenda et administranda per ejusmodi folia aut libellos vellicare et damnare praesumserint, declaramus tum scriptores ipsos, tum participes et fautores perniciosissimi hujus abusus esse ordinis pertubatores, auctoritatis ecclesiasticae contemptores et hostes, gravissimique scandali reos; ac proinde dignos qui, culpa ipsorum satis probata, canonicis quoque censuris puniantur.

TITULUS VIII.

De Zelo Animarum.

CAPUT I.

De Colonis et Advenis.

232. Magna sane est advenarum frequentia fere quotidie ad littora nostra confluentium, eo animo ut fortunas suas augeant vel, quod plerisque propositum est, ut egestatem miserrimamque vitae, qua domi premebantur, conditionem effugiant. Hinc plerumque, quum ad portus nostros adpellunt, rerum fere omnium inopia laborant. Qua quidem aequum est ut nos permoveamur ad eos pro virili parte adjuvandos et fovendos, maxime quod eorum plurimi sint domestici fidei (Gal. vi. 10), ejusdemque matris Ecclesiae filii. Immo nostri muneris est, Dei jussu et exemplo eos non benevolentia tantum sed etiam amore complecti. "Amat (Deus) peregrinum et dat ei victum atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenae in terra Aegypti." (Deuteron. ix. 18, 19.) Praeterea in Novo Foedere una quodammodo sorte cum illis et conditione censemur. Quid enim aliud sumus ipsi quam peregrini, hospites et advenae, nullam hic habentes manentem civitatem, sed a Deo domoque coelesti peregrinantes, qui futuram illam beatam perpetuoque mansuram inquirimus? (i. Pet. ii. 11; i. Cor. ii. 11; Hebr. xi. 13; xiii. 14.) Quum vero non solum tot corporis incommoda et vexationes perferre cogantur, sed etiam haud raro fide, moribus et aeterna

animae salute periclitentur, multo magis nos decet omni qua licet ratione eorum bono spirituali providere. Ad quod officium rite exequendum quo magis excitemur, saepe memoria recolamus suavissima illa Christi verba, quibus benevolentiam illis praestitam beneficiis in Ipsum collatis adnumerandam fore promisit: Hospes eram et collegistis Me. Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, Me suscipit. Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis. (Matth. xxv. 35, 40; xviii. 5.)

233. Libenter agnoscimus et commendamus zelum et religionem societatum quarumdam Hibernicarum, inter quas commemorari debet illa quae a colonis Catholicis juvandis nomen habet, Piae quoque pro colonis Germanis Unionis, quae a S. Raphaele patrono nominatur, aliarumque ejusdem indolis quae magna constantia et felici exitu, ut colonos sive primo advenientes sive aliquantisper in hac regione commoratos ope et consiliis suis tutarentur, hactenus adlaborarunt.

234. Maxime optandum est ut apud urbes majores prope oceanum sitas et ad quas plerumque adpellunt coloni ex Europa commeantes, constituantur sacerdotes prudentia et si fieri potest linguarum peritia insignes, quorum praecipuum munus sit advenas Catholicos excipere, iisque se duces et consiliarios praebere. Malorum enim hominum fraudibus et insidiis hujusmodi loca scatent. Potissimum vero solliciti sint de foeminis junioribus et puellis quae saepe, nullo comite, nullo custode aut tutore, iter faciunt. Hae namque a piis parentibus juxta veterem morem ac disciplinam ruri educatae magnarum urbium corruptelas et lenocinia omnino nesciunt. Pro ingenua ipsarum indole nihil suspicantur et facile omnibus credunt. Hinc in magno pudicitiae ac religionis amittendae periculo saepe versantur. Ad hoc malum avertendum familiae quaedam

religiosae in urbe quadam domos, ut vocant Refugii laudabili exemplo constituerunt excipiendis hujusmodi puellis et in sororum tutela asservandis, donec apud familiam bene moratam operam suam locent aut alio honesto modo victum quaerant. Atque utinam id exempli ceterae quoque urbes aemulentur!

235. Illud aequo animo tolerare vix possumus, quod coloni catholici tanto numero in oppidis congregari malint ubi laboriosissimis operibus manu factis victum quotidianum quaeritent, aut in populosis urbibus tenuissimi lucri spe permaneant, ibique inter vinarios, tabernarios et abjectissimos quoque homines miseram in squallore et sordibus vitam agant. Praeterea in hujusmodi locis frequentissimae adsunt vitiorum illecebrae, et pueri ad doctrinam Catholicam et bonos mores informari difficillime possunt. Atque hoc eo magis miramur ac dolemus, quod magna pars hujus regionis immensae usitatis rusticanorum hominum operibus sit aptissima; et haud difficile sit praesertim in occidentalibus reipublicae plagis sedes idoneas invenire et colendis agris paullatim ditescere. Haec quatenus fieri licet advenarum auribus animisque saepe inculcent sacerdotes, iisque persuadere nitantur ut, si vitam tranquillam et securam amant, si suam suaeque prolis aeternam salutem cordi habent, demum si de divitiis acquirendis serio cogitant, urbes deserant et agrorum cultioni se dedant.

236. Idcirco magnae utilitati fore censemus, si quidam ex Catholicis nostris qui divitiis et auctoritate apud cives suos pollent, in collegium seu societatem coeant cujusmodi plures hac in regione habentur, cujus beneficio coloni Catholici domos fundosque sumptu minori et firmiori possessionis jure sibi comparent. Quod si fecerint, egregie de religione et de patria merebuntur.

CAPUT II.

De Cura Pastorali pro Hominibus Nigris et Indis.

237. Quum in Nigrorum salute promovenda ea de re agatur, quae summae prorsus necessitatis est, libenter iis assentimur, quae de salute et Christiana educatione Nigrorum uniformi ratione procuranda habentur in Conc. Plen. Balt. II., et in instructione ab Emo. Card. Praefecto de Prop. Fide ad Rmum. ejusdem concilii praesidem data; cui necessitati nisi statim provideamus, tantam messem in horrea Christi colligendo, hominum inimicorum fraudibus ac cupiditati irreparabili plane damno objiciemus. Concilii Patres illius censuerunt, in conciliis provincialibus, maxime vero iis in provinciis ubi Nigri majori numero versantur, diligenter pertractandum de regulis unicuique loco accommodatis, ut meliori atque efficaciori modo istorum hominum salus et Christiana educatio promoverentur. (Conc. Prov. Balt. X., n. 5.) Patrum hortatu nonnullae ecclesiae atque scholae separatae pro Nigris constructae fuerunt; in aliis vero ecclesiis locus providetur in quo omnes qui volunt missae sacrificio adstare possunt et elementa Christianae doctrinae addiscere; jamque viri apostolici maximo cum fructu laborant in aliquibus locis ubi viget multitudo Nigrorum.

238. Injustum esset hic tacere labores omni laude dignos a missionariis nostris susceptos pro Nigris tempore quo servi erant et postquam fuerunt emancipati; at cum experientia constet salutem et Christianam eorum educationem efficaciter procurari non posse, nisi missionibus, catechesibus ac ceteris exercitiis spiritualibus eorum captui indolique accommodatis, decernimus ut Episcopi erectionem ecclesiarum, scholarum, domorum

refugii pro orphanis ac pauperibus ad Nigrorum usum, ubi fieri poterit, omni nisu procurent. Aliis autem in locis volumus ut non solum opportunus et idoneus locus in ecclesia communi provideatur, ac petentibus illis, nullo habito discrimine, sacramenta alacriter ministrentur; at praeterea statuimus, ut Ordinarii in partem tantae sollicitudinis sumant sacerdotes, sive saeculares sive regulares, quorum solum officium erit istis familiae Christi membris verbum Dei praedicare, eorum parvulos fidei principia edocere, aliisque apostolicis officiis erga illos fungi, juvantibus rectoribus ecclesiarum, quibus interdicimus ne impedimento sint missionariis ab Episcopo tam sancto muneri praepositis.

239. Quum vero maximus adhuc numerus Nigrorum extra Christi ovile versetur, oportet ut Ordinarii operarios zelo animarum succensos quaerant, quos mittant in hanc partem messis Domini. Sciant etiam seminariorum moderatores, omnium juribus sancte servatis, officii esse sui hujusmodi vocationem sedulo in animis alumnorum sanctuarii excolere, saepius illis proponendo Christi promissum quod in isto ministerio maxime valet: "Nemo est qui reliquerit domum * * * qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc * * * et in saeculo futuro vitam aeternam." (Marc. x. 29, 30.) Praeterea, cum religiosae familiae missionariorum merito glorientur se mancipatas esse in sortem Domini, ut summa necessitate urgente hominibus verbum Dei et panem vitae esurientibus generose opitulentur, absque dubio Praesules nostros alacri animo juvabunt.

240. Tandem silentio praetereundum non est, institutionem catechistarum utriusque sexus difficiliorem non fore apud nos quam in regionibus ethnicorum, quando diligenti cura in id incumbent missionarii. Talium adjutorum opera magni facienda est. Parabunt etenim viam sacris ministris Nigros ecclesiae vicinos congre-

gando ac catechismum hymnosque sacros edocendo, qua ratione durus sacerdotis labor uberiores fructus afferet.

241. Ex annalium monumentis sacrarum Missionum apud Americae Septentrionalis aborigines gloriam immortalem consecuta est pia Mater Ecclesia. Et sane merito, siquidem vel a primis novi orbis explorationibus usque ad nostra tempora quamplurimi filii ejus apostolorum zelo et caritate ducti, gravibus aerumnis susceptis evangelium regni Dei indefesse praedicaverunt pauperibus istis fratribus nostris, Christi sanguine redemptis dignisque Matris Ecclesiae miseratione.

242. Imprimis itaque censent Patres comitatum ab Illmo. et Rmo. Archiepiscopo Baltimorensi ad causam Indorum apud Gubernium agendam anno 1874 institutum ea ratione continuandum esse, ut sub Archiepiscopo Baltimorensi praeside consistat quatuor Episcopis, qui singulis quinquenniis ab iis Ordinariis seligendi erunt, in quorum dioecesibus Indorum tribus commorantur. Hujus comitatus erit, apud sedem gubernii sacerdotem collocare qui commissarii munere fungatur atque secundum regulas a comitatu praescribendas negotia a praedictis Ordinariis ipsi injuncta diligenter gerat, et generatim Indorum salutem opportuno tempore ac optimis quibus poterit mediis promoveat.

243. In universis harum regionum dioecesibus quotannis, prima Quadragesimae Dominica, collecta fiat, et summa inde proveniens mittatur ad commissionem pro missionibus domesticis instituendam. Hoc vero modo distributio fiet. Pecunia ex hac collecta primae Dominicae Quadragesimae derivata in dioecesibus, ubi Societas pii Operis de Propagatione Fidei jam existit, tota impendatur a commissione in juvandis Indorum et Nigrorum missionibus. Quod vero in illa collecta confertur a dioecesibus, ubi nondum existit illa societas, dispertiatur in

duas partes, quarum una Lugdunum transmittatur, altera pro Indorum et Nigrorum missionibus retineatur.

Commissio autem sic constituatur. Revdmus. Archiepiscopus Baltimorensis adsciscat sibi duos ex Episcopis, quorum dioeceses hujusmodi ope non indigent. Eligant deinde secretarium sacerdotem, clericum puta ex pio clericorum S. Sulpitii instituto, qui quotannis ad Episcopos universos plane referet de collectis acceptis deque modo quo pecuniae omnes expensae fuerint. Etiam Episcopi qui de his collectis participant, singulis annis ad commissionem referent de numero Indorum et Nigrorum in suis dioecesibus, deque eorum statu spirituali, et de ceteris quae ipsorum judicio utiliter commissioni significari possunt aut debent.

In tota hac re, quae suis certe non caret difficultatibus, tum pastores tum fideles non parvum percepturi sunt incitamentum ex benigno quo nos prosequitur studio Emus. Card. Praef. S. Cong. de Prop. Fide, qui benevole paratum se ostendit ad procuranda subsidia; et etiam ex indulgentiis a D. N. Leone XIII. die 3 Dec. 1882 concessis aliquibus missionibus, quas et ad nos extendere dignatus est.[1]

[1] Ex audientia habita die 23 Julii 1882 relatum fuit: "Sanctissimus ad preces R. P. D. Oratoris, de quo in precibus, indulgentiam plenariam benigne concessit ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus lucrandam, qui eo die quo fit collectio pro erectione et sustentatione sacellorum et scholarum catholicarum pro Indis et Nigritis, vere poenitentes, sacramentaliter confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam, in qua pecunia colligitur, devote visitaverint, ibique sacris concionibus aliisque ritibus ea occasione celebrandis adstiterint, et aliquas pias preces pro sanctae fidei propagatione et juxta Summi Pontificis intentionem effuderint." In audientia vero habita die 3 Decembris 1882, Sanctitas sua rogata fuit, ut rescriptum relate ad ecclesias et scholas pro Nigris, valiturum declarare velit pro omnibus dioecesibus Statuum Foederatorum; ac praeterea, ut in rescripto auferatur conditio, qua fideles tenentur assistere functionibus, concioni, etc. Porro SS. Pater "annuit juxta petita."

CAPUT III.

De Societatibus.

§ 1. *De Societatibus Inhonestis.*

244. Societates Secretas hostem infensissimum Ecclesiae Dei et fuisse et esse, declarant non modo monita eorum, qui a Christo positi fuerunt ad custodiendam Civitatem Dei, verum etiam confirmant eventus tristissimi duorum superiorum saeculorum, multoque magis status miserrimus ad quem pluribus in locis Ecclesia est redacta. Nec in societatem religiosam tantummodo, verum etiam in civilem haec pestis exitiosa invasit; ac ita civium corda animosque suo lethali foetore corrupit, ut ipsius Reipublicae viscera penitus infecerit. Interim autem Romani Pontifices suo muneri non defuerunt. Iterum atque iterum non modo hostem clamarunt, sed praeterea districto Ecclesiae gladio perculerunt, insidias et consilia in aperto posuerunt, et remedia ad malum repellendum opportuna praebuerunt. Eorum omnium declarationes SS. Dominus Noster Leo XIII., feliciter regnans, nuperrime in Epistola Encyclica *Humanum Genus,* sermone gravi aeque ac diserto collegit et renovavit.

245. Has igitur Instructiones et Decreta, adeo sapienter a Romanis Pontificibus edita, ad malum gravissimum a Christi fidelibus arcendum, volumus nullo modo veluti inania haerere suspensa, verum econtra eadem fortiter applicari, ut morbus iste pestifer e corpore religioso simul ac civili tandem expellatur. Hunc quoque animum fuisse Patribus praecedentis Concilii Balt. ex praeclaro illo titulo patet, quem de Societatibus Secretis ediderunt; et Nos eorum successores et in documentis Pontificiis exequendis aemulatores, eodem quo

ipsi spiritu ducti, his Nostris decretis statuimus, supra memorata Pontificia decreta contra omnes societates a S. Sedes damnatas cum suo pleno vigore juxta tenorem Constitutionis *Apostolicae Sedis* et mentem Summorum Pontificum, strenue esse inculcanda atque executioni mandanda. (Vide Instr. S. O. hoc anno editam.[1])

246. Neque ad illas tantum societates, quae veluti secta Massonica aut Carbonaria nominatim damnatae inveniuntur, coarctandae sunt declarationes S. Sedis; verum etiam ad illas quoque se extendere intelligantur necesse est quae, nomine quantumvis omisso, in re tamen ejusdem sunt generis ac Massonica aut Carbonaria. "Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi, summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cujusdam est instar centri, unde abeunt et quo redeunt universae." (Cit. Encycl. *Humanum Genus.*)

247. Quod si dubium exoriatur, an aliqua societas a S. Sede damnata existat, praecisione facta modo a censuris, de quibus infra, applicatione alterutrius horum principiorum erit resolvendum, an saltem sit vetita.

Si nempe ejusmodi societas aut ita secretum servandum injungat, ut neque auctoritati Ecclesiae illud manifestari sinat; aut si jusjurandum vel promissionem caecae absolutaeque obedientiae exigat, ea, prescindendo etiam a censuris, inter vetitas erit recensenda, atque adscripti absolutione sacramentali privandi, donec effectu ipso ab ea penitus recedant, vel saltem se continuo recessuros serio promittant. Et quoniam Episcopis non solum jus, sed etiam officium inquirendi inhaeret, omnis societas quae Ordinario interroganti secretum revelari non sinit, ipsi auctoritati Ecclesiae id recusare judicabitur; et

[1] In *Appendice*, p. 282.

obedientia ad omnia parata, rei faciendae ratione et honestate nec visa nec curata, sine dubio caeca et absoluta erit existimanda.

248. Hinc patet illas societates jure optimo meritoque fuisse ab Apostolica Sede damnatas. Quid enim magis istis exitiale in Ecclesiam aut Statum existere possit? Quid ad omnem malam pestem generandam atque fovendam magis accommodatum? In eorum enim conventiculis secretis viri perditi ac callidi pessima quaeque contra bonum reipublicae sacrae et civilis moliri possent, et si Ecclesiae jus inspiciendi non competeret nullus locus applicandi remedia esset relictus. Si autem adscripti nil mali in eis agant, exeant e tenebris. "Qui enim veritatem facit, venit ad lucem. Qui vero male agit, odit lucem." Ideoque, si non veniant ad lucem, reputandi sunt inter homines illos, de quibus Salvator dixit: "Dilexerunt magis tenebras quam lucem, erant enim mala opera eorum." (Joan. III. 19.) Hinc declaravit Summus Pontifex Leo XII.: "Jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari." (Litt. App. *Quo graviora.*) Nec quis dicat his mediis promoveri progressum generis humani. Illud enim genus humanum quod Redemptionis ipsiusque naturae vi tendit ad unum, ad colligendos scilicet omnes homines in unam quasi familiam veluti totidem fratres sub uno communi Patre, illosque in unum retinendos arctis vinculis apertae sinceritatis, aequae omnibus justitiae, ac universalis amoris; istud genus humanum quomodo promovetur, quum videat econtra lacerata sua membra atque disjecta, homines scilicet ab hominibus secreto divisos, ab officiis veritatis, justitiae et caritatis aliis alios excludentibus, si forte inter suos gregales non adnumerentur? Et ad illam caecam absolutamque obedientiam

quod attinet, quid unquam magis funestum excogitari posset adversus altam dignitatem humanam, rectae rationis imperium, bonorum morum ac Reipublicae gerendae fundamenta? Qui enim "cooptati sunt promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima; ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos imperata facturos; si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam vel mandatis restisisse judicentur, supplicium de eis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut speculatricem ac vindicem scelerum justitiam sicarius persaepe fallat. Atqui simulare et velle in occulto latere; obligare sibi homines tanquam mancipia tenacissimo nexu, nec satis declarata causa; alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere; armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter Societatem, de qua loquimur, cum justitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit." (Litt. Encycl. *Humanum Genus.*)

249. Supra ubi de discernendis societatibus vetitis agebatur, praescidimus a considerandis simul censuris, ne videremur res distinctas confundere. (Vide probatos commentatores in Const. *Apostolicae Sedis.*) Sed hoc in loco, incertis relictis censemus clare definiendas esse censuras certas et latae sententiae, in quas hae societates incurrere possunt.

Si qua igitur societas presbyterum proprio marte sibi vindicet aliumve ministrum cultus, qui rituali ac caeremoniis propriis pro suo lubitu utatur; hoc in casu adscripti etiam censuras contra schismaticos vel haereticos latas incurrunt. Quae censurae ita enuntiantur in Const. *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes latae sententiae, Romano Pontifici speciali modo reservatas:

"Omnes a Christiana fide apostatas, et omnes et singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores." "Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt." In comperto enim est, quamlibet societatem, praeterquam quod sit secreta, posse etiam schismaticam esse vel haereticam; proindeque omnis societas, quando sibi vindicat presbyterum aliumve ministrum cultus, cum proprio rituali ac caeremoniis, non quomodolibet, nec sicuti aliquando apud nostrates fit quum preces quaedam in civium conventibus recitantur, sed eo modo quo ipsa societas, pravo sibi fine proposito, secta schismatica aut haeretica evadit, jure meritoque in censuras supradictas incurrit.

250. Non ideo autem censenda sunt omnia licere, quae non sint expresse damnata; et nostri fideles, maxime autem juniores, quo longius ab omni periculo mali amoveantur, edocendi sunt graviterque commonendi, sedulo ipsis effugiendas esse omnes societates quae quomodocumque fidei aut moribus judicio Ordinarii offendiculo esse possint. Qua de re Summus ipse Pontifex Episcopis hoc consilium praebet: "Parentes, magistri pietatis, curiones inter Christianae doctrinae praeceptiones insistant, Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de ejusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias, quas eorum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel curione vel conscientiae judice, nulla se unquam societate obligaturos." (Encycl. cit.)

251. Quoniam vero non tantum contra fidei puritatem et communionis ecclesiasticae unitatem societates secretae conspirare possunt, verum etiam contra legitimas potestates machinari, idcirco Sedes Apostolica harum incolumitati consulens, excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, subjacere declaravit: "Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine machinantur; necnon eisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint." Ergo hac etiam censura societates secretae innodari possunt et merito; "non est enim potestas nisi a Deo quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt." (Rom. XIII. 1, 2.)

252. Has igitur censuras declaramus, nullo modo aut tacendas aut dissimulandas esse; sed econtra manifeste promulgandas atque in reos urgendas ut timore salutari fideles in officio contineantur, deceptione aut infirmitate lapsi ad meliorem frugem revocentur, et contumaces tandem veluti oves infectae ex ovili ejiciantur.

253. Demum, hic opportunum ducimus in mentem fidelium revocare monita salutaria, quae Patres superioris Concilii Plenarii titulo *De Societatibus Secretis*, No. 519, dederunt circa societates quasdam de quarum liceitate quaestio aliquando mota fuit. "Quibus accurate perpensis, Nobis quidem nulla apparet ratio, ob quam prohibitio Ecclesiae adversus Massonicam aliasque occultas sectas, ad illas extendatur operariorum sodalitates, quas non constat aliud sibi proponere quam sociorum in propria arte exercenda mutuam tutelam ac juvamen. Cavendum tamen, ne sub hoc praetextu quidpiam admittatur, quod sectis damnatis faveat; neve operarii qui his

societatibus nomen dant, pravis subdolisque malorum hominum artibus inducantur, ut contra justitiae leges laborem ab ipsis debitum subtrahant, vel alio quovis modo eorum, quibus subjiciuntur, jura laedant. * * * Illi etiam coetus prorsus illiciti sunt, in quibus ita arcto foedere in mutuam defensionem conjunguntur socii, ut exinde oriatur turbarum vel caedium periculum."

254. Quum porro videndum erit, an aliqua societas cadat sub una ex classibus indicatis, primo quidem inquirant Episcopi, sive per se sive per alios prudentes, auditis ducibus, corypheis vel sociis praecipuis, omnia ad illam associationem spectantia, dein singula inspiciant matureque considerent, ut judicium certum de ea proferatur juxta principia super exposita et si quid deprehenderint damnatione dignum, inspiciant ulterius utrum ex ipsius societatis natura proveniat, an vero ex quibusdam temporum, locorum aut personarum circumstantiis cum societate conjunctis. "Nolumus enim," sicut jam decretum fuit in eodem Concilio, No. 520, "ut in posterum ullus in hisce provinciis, in quavis ecclesiastica dignitate constitutus, nominatim societatem damnet, nisi certo et praeter omne dubium constet, eam ex eis esse, quae Constitutionibus Pontificiis [aut aliis documentis Sedis Apostolicae], comprehenduntur. Si vero eae fuerint circumstantiae, ut ultiorem expositionem doctrinae jam traditae postulare videantur, pro ea 'omnibus ad amussim expositis rerum adjunctis' recurrendum esse monemus ad Sanctam Sedem, cujus sapientissimo judicio omnes pleno animo ac corde morem geremus."

255. Ad praecavendum praeterea, ne confusio disciplinae habeatur, dum cum magno fidelium scandalo et auctoritatis ecclesiasticae detrimento, eadem societas in una dioecesi damnatur, et in alia toleratur, nolumus ullam societatem, uti cadentem sub una ex classibus indicatis, nominatim damnari, antequam Ordinarius rem

retulerit ad Commissionem, quam pro hujusmodi causis judicandis nunc constituimus, et quae constabit ex omnibus Archiepiscopis harum provinciarum. Quod si societas damnanda omnibus visa non fuerit, recurrendum erit ad Sanctam Sedem, ut judicium certum accipiatur, et disciplina in nostris provinciis uniformis servetur.

§ 2. *De Quibusdam Societatibus Honestis.*

256. Praeter viam poenarum et timoris, aliam et quidem meliorem indicavit Supremus Pastor in saepe laudata encyclica *Humanum Genus*, qua nobis commissi fideles a periculis societatum secretarum retrahi queant, in eo sitam, ut instituantur societates honestae ad quas opportune alliciantur. Quod quidem nostratum conditioni est maxime accommodatum. Omnes enim ad nomen alicui societati dandum vehementur trahuntur, plerumque alicujus mutui beneficii et protectionis spe, aut, praesertim cum de junioribus agitur, animi recreandi aut perficiendi causa. Ad has igitur utilitates nostris fidelibus in societatibus honestis procurandas decernimus, ubicumque fieri potest Episcoporum auspiciis patrocinioque, opificum aliorumque civium Catholicorum societates instituendas et promovendas esse, quae quamvis finem sibi proponant temporalem et materialem, consilia tamen et directionem cleri sequantur.

257. Pro juvenibus, quia majoribus periculis objiciuntur, majorem curam impendi volumus; proinde statuimus, ut in omni paroecia vel missione, ubi numerus eorum sufficiens invenitur, societates speciales pro ipsis a rectore instituantur et omni opera foveantur. Sine hujusmodi enim associationibus opus juventutis Catholicae servandae in scholis parochialibus inceptum, plerumque in irritum cedet, et nostri adolescentes, qui tanto studio jam inde ab infantia custoditi sunt, moribus et

illecebris mundi seducti tandem in societatum vetitarum barathro absorpti perdentur. Honestis autem societatibus adscripti, dum bonum temporale prosequuntur, ad pietatem quoque excolendam a prudente pastore facile adduci poterunt.

258. Praeter has societates Catholicorum optamus etiam ut in singulis paroeciis, ubi fieri potest, instituantur societates vere Catholicae, quae pro aliquo fine religioso assequendo sub proprii capellani plenissima directione laborent. Jam enim multis in locis hujusmodi societates bene de Ecclesia meruerunt, non tantum aedificationis exemplo sed etiam neglectos et carceribus aliisque institutionibus publicis detentos doctrina Christiana imbuendo, libros Catholicos distribuendo et alia charitatis opera exercendo. Praeterea, ad pauperum indigentiam modo efficaci simul ac Christiano levandam, maxime curabunt ecclesiarum rectores, ut omni opera foveant societatem illam "de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit, scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili; quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem Christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior." (Encycl. cit.)

259. Omnibus denique vehementer commendamus Lugdunensem Propagationis Fidei Societatem quam inde ab ejus ortu Romani Pontifices summis laudibus et amplissimis pontificalis gratiae privilegiis prosecuti sunt; quamque sedulo fovendam et promovendam recentioribus diebus Leo XIII. fel. reg. in Encycl. *Sancta Dei Civitas*, 3 Dec. 1880, iterum Episcopos ardenter commonuit. Mentem S. Sedis, et praedecessorum in superioribus Conciliis Plenariis exemplum sequentes statuimus, ut per omnes nostras dioeceses societas illa praeclara, sicubi forte nondum vigeat, instituatur ac

promoveatur. De collectis fidelium eleemosynis quae omnes mittantur Lugdunum ad pii operis directores generales, ratio dabitur juxta normam societatis, vel alio modo, prout Episcopo magis placuerit. Amor quidem erga Deum, uti speramus, omnes stimulabit ut parvas suas copias conferant ad augendum opus missionum Catholicarum per totum orbem diffusarum et amplificandum regnum Christi; at simul meminisse juvat, societatem istam, "a qua tot ac tanta bona in rem Catholicam in his regionibus jam derivata sunt," eo majora indigentibus nostris missionibus auxilia praestare posse, quo ampliores et uberiores ipsi contulerint eleemosynas.

§ 3. *De Societatibus ad Temperantiam Promovendam.*

260. Dubitandum non est quin inter mala quae in hac regione maxime deflemus, reputandum sit illud quod in potuum inebriantium abusu consistit. Est enim hujusmodi excessus peccati fomes perpetuus miseriarumque origo foecunda; homines innumeros familiasque integras ruina pessima obruit, animasque plurimas in exitium aeternum praecipites trahit. Et quoniam hoc vitium etiam inter Catholicos non parum saevit, scandalum acatholicis datur magnumque obstaculum religionis dilatationi opponitur. Christianos igitur omnes et religionis et patriae amor urget ut omni studio dent operam huic pestifero malo extirpando.

261. Ab Ecclesiae sacerdotibus, quibus Deus officium dedit homines verbo vitae erudiendi bonisque moribus informandi, auxilium in primis speramus. Nunquam cessent contra ebrietatem ejusque occasiones fortiter conclamare; praesertim vero quum exercitia spiritualia pro populo habent. Memores etiam doctrinae Apostolicae plebem commissam ex animo doceant scriptum esse:

"neque ebriosi * * regnum Dei possidebunt" (I. Cor. VI. 10); revocent in mentem aliorum qui existimant se stare, verba Eccli. III. 27: "qui amat periculum peribit in illo." Praeterea quum verba moveant tantum, exempla vero trahant, sacerdotes ipsimet qui, monente Apostolo, debent esse forma gregis ex animo, sint temperantiae virtutis exempla.

262. Vestigiis inhaerentes Patrum Superiorum Conciliorum Baltimorensium, et doctrinae innixi Doctoris Angelici (II. II. q. 149, a. 3.) approbamus et magnopere commendamus laudabilem plurium morem, qui temporibus nostris ab usu potuum inebriantium omnino abstinent, quo vitium intemperantiae securius coerceant, sive ejusdem occasiones a semetipsis amovendo, sive aliis virtutis temperantiae exemplum praeclarum exhibendo, quorum zelum secundum scientiam esse, jamque magnos fructus tulisse ac majores etiam in futuro ferendi spem praebere ultro fatemur. Societates quae veniunt nomine "Unionis Catholicae ad Abstinentiam Totalem promovendam" et "Sacrae Sitis," magna laude dignas agnoscimus; spiritu enim vere catholico reguntur, et non tam in propriae voluntatis firmitate quam in precum et sacramentorum virtute vires necessarias quaerunt. Notum est praeterea quod Caput totius Ecclesiae et Christi in terris Vicarius non semel easdem benedictione sua apostolica et indulgentiis Ecclesiae locupletavit. Proinde nos quoque iisdem signa nostrae benevolentiae exhibemus, et quo magis floreant eas omnium nostrorum sacerdotibus curae paternae commendamus, ut eis non modo animos addant sed etiam semitam catholicam semper demonstrent.

263. Monemus denique nostros fideles, qui liquorum inebriantium mercaturam faciunt ut serio recogitent quot quantisque periculis peccatique occasionibus eorum quaestus, quamvis in se non illicitus, sit circumdatus.

Honestiorem rationem sustentandi vitam si possunt, seligant. Sin minus totis viribus tam a semetipsis quam ab aliis occasiones peccati studeant amovere. Neque junioribus, eis scilicet qui sui juris non sunt, potum vendant, neque iis quos potu abusuros praevident. Cauponas suas die Dominica clausas servent; nulloque tempore intra tabernarum suarum parietes blasphemias, maledictiones, aut eloquia turpia proferri sinant. Quod si culpabili ipsorum causa aut cooperatione religio in dedecus et homines in ruinam traducuntur, sciant in coelis Vindicem existere poenas ab ipsis gravissimas certo exacturum.

TITULUS IX.

De Bonis Ecclesiae Temporalibus.

CAPUT I.

De Juribus Ecclesiae circa Bona Temporalia.

264. "Ecclesia nempe ut vera et perfecta societas a divino auctore suo fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac jura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat." (Pius IX., Allocutio *Multis gravibusque*, 17 Dec. 1860.) Ecclesia itaque, cum societas sit quae et externo membrorum suorum nexu atque ordine omnibus visibilis apparet, iis procul dubio mediis uti debet ad finem suum assequendum, quae non meris purisque spiritibus, at vero hominibus ex corpore simul et anima compositis conveniant. Etsi proinde Ecclesiae est orare, praedicare, ministrare atque sacrificare, his tamen divinis muneribus, cum non solum pro hominibus, sed etiam inter homines et ab hominibus exercenda sint, spectata humana natura humanaeque societatis indole, recte fungi non potest, nisi mediis externis modisque visibilibus utatur. Externa scilicet et temporalia bona non modo Ecclesiae utilia sed omnino necessaria sunt. Neque solum ex ordinatione divina Ecclesiae jus competit ad bona temporalia, sed et jure naturali, cum jure longe nobiliori vera et perfecta societas sit quam reliquae hominum societates, quibus ex ipsa rerum natura jus bona externa acquirendi ac possi-

dendi competere nullus unquam negare ausus est. Recte hinc damnata est eorum sententia qui dicunt: "Ecclesia non habet nativum et legitimum jus acquirendi ac possidendi." (Syllabus Pii IX., § v., prop. XXVI.) Ecclesia praeterea ut societas perfecta et supernaturalis a potestate civili plene et absolute independens est, imo multo hac nobilior superiorque, utpote quae in hoc mundo quidem, sed non de hoc mundo. Igitur insignis impudentiae rei sunt novatores conclamantes "conforme esse s. theologiae jurisque publici principiis, bonorum proprietatem quae ab ecclesiis, a familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare." (Pius IX., *Quanta cura.*) Neque demum minus damnanda eorum insania qui asserere non dubitant sacros Ecclesiae ministros Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium cura ac dominio esse omnino excludendos. (Syll., l. c., prop. XXVII.) Sancte igitur et inviolabiliter tenendum est jus integrum proprietatis et dominium in bona ecclesiastica in Ecclesia residere. Quaecunque sint in Ecclesia societates, vel congregationes, collegia vel ordines, sive laicorum sive religiosorum, bona temporalia, quae Ecclesiae nomine cohonestentur, acquirendi vel possidendi nec potestatem nec jus habent, nisi quia et quatenus sunt membra in uno Ecclesiae corpore. Quod tam verum est ut, si quae societas ecclesiastica ab obedientia Ecclesiae debita recesserit vel a fide Catholica apostataverit, nullo unquam titulo bona ecclesiastica quorum prius dominium habuit, sibi reclamare legitime possit. Scisso etenim unitatis ecclesiasticae vinculo, scinditur et titulus possessionis bonorum Ecclesiae, quae essentialiter una est.

Haec quidem doctrina jam pridem a Patribus Conc. Plen. Balt. I. luculenter declarata est: "Quidquid igitur offertur Deo ejusque cultui consecratur, sive illud templum ipsum est, in quo ejus cultores congregantur, sive

fundus iis humandis assignatus, qui in Domino promissam resurrectionem exspectantes requiescunt, sive proprietas quaevis . . . et ad Dei honorem vel ad usum cleri educandi, sustentandi alendique destinata; haec plane omnia res sacrae sunt et Ecclesiae propriae, ut Dei servitio subtrahi sine sacrilegii crimine non possint. Has res ne donatores quidem sibi ut proprias vindicare possunt." (Literae Pastorales.)

265. Eadem est doctrina Catholica de bonorum ecclesiasticorum administratione. Aliter nempe administranda non sunt quam juxta sacrorum canonum et constitutionum Pontificiarum normam. Haec enim bona ex fine quo acquisita, vel ex intentióne qua a donatoribus collata sunt, usui Ecclesiae unice destinantur, sive hic honor sit ac splendor cultus divini atque ministrorum sacrorum sustentatio, sive Christiana juventutis institutio, subventio orphanorum, pauperum et infirmorum, sive demum Evangelicae inter paganos haereticosque praedicationis propagatio. Evidens ergo ratio patet, cur bonorum illorum administratio plena et ab omni alieno interventu secura Ecclesiae vindicari debeat. Declaramus itaque falsam eorum sententiam qui docent coetus ecclesiasticos seu congregationes, quibus ab auctoritate civili jus bona temporalia acquirendi, administrandi et alienandi concessum est, hoc ipsum jus exercere posse independenter ab auctoritate Ecclesiae, immo contra ejusdem canones et decreta.

Catholicam hanc doctrinam Patres Conciliorum Americae Plenariorum apertis verbis et invictis semper proclamarunt. "Quam parum magistratui civili licet Ecclesiae praescribere quae doceat aut quo ritu colat Deum, tam parum ei certam rationem suarum facultatum curandarum injungere potest, quae repugnet ejus institutis et ab illis petita sit, qui ejus auctoritatem rejecerunt." (Conc. Plen. Balt. II., Literae Pastorales.)

"Denique in toto hoc temporalium bonorum genere, quod profanis usibus exemptum et ad divinum cultum sepositum est, non potest Ecclesia ullum cujusquam interventum admittere, qui non ex ipsius auctoritate pendeat. Hujus autem auctoritatis vicarius est et interpres pro sua dioecesi Episcopus." (Conc. Plen. I. Literae Pastorales.)

CAPUT II.

De Episcoporum Officiis.

266. "Praecipimus ut in potestate sua Episcopus Ecclesiae res habeat. Si enim animae hominum pretiosiores illi sunt creditae, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum Dei timore et sollicitudine ministrentur." (Canon Apostolicus 41.)

Ob summa pericula quibus bona temporalia saepe objiciuntur quando Episcopi ea secundum praescripta Ecclesiae tractare prohibentur, summopere lugendum est, quod in multis Statuum Foederatorum regionibus leges civiles circa bonorum temporalium possessionem et administrationem iis nitantur principiis, quae admittere Ecclesia non potest, nisi ab eo instituto discedat, quod perpetuo tenuit ex quo primum libera religione uti coepit. (Conc. Plen. Balt. II., l. c.) "Haec autem plena libertas tunc tantum existere dici posset si leges et provisiones ab ipsa Ecclesia factae in foro quoque civili quoad haec admitterentur, iisque hoc modo vis civilis tribueretur. * * * Cum autem illa legum et tribunalium ecclesiasticorum agnitio in Statibus quibusdam nondum existat, Nostrum est ita res componere, ut

impedimenta quae libertati Ecclesiae et bonorum securitati e legibus civilibus oriuntur, vel amoveantur prorsus, vel in quantum fieri potest minuantur." (Ibid., No. 200.)

267. In Statibus in quibus civilis parochiarum vel coetuum ecclesiasticorum incorporatio legalis quae cum legibus ecclesiasticis concordet, non existit, Episcopus ipsemet, lege in comitiis ferenda, corpus publicum seu persona moralis (*Corporation sole*) constitui poterit ad bona totius dioecesis habenda et administranda; vel poterunt simili lege dioecesis bona committi Episcopi fidei (*In trust*) ut eadem nomine dioeceseos teneat in ejusque bonum juxta mentem Ecclesiae administret; vel denique Episcopus bona dioeceseos temporalia possideat et administret nomine suo proprio, illo nempe absoluto plenoque juris titulo, qui anglice vocatur *in fee simple;* quo in casu Episcopus omnino memor sit, se, quantumvis a potestate saeculari plenum ecclesiasticarum rerum sibi datum fuerit dominium, ex sacrorum canonum monitu dominum earum non esse, sed mere procuratorem. (C. *Fraternitatem* 2, de Donat., l. II. Decret.)

268. Ne unquam bona cultui divino piisque operibus dicata ad alios usus divertantur, statuimus ac omnibus istarum provinciarum Episcopis in Domino praecipimus, ut duplex rerum inventarium rite confectum habeant; unum in quo res omnes ecclesiasticae, quas sive nomine proprio (*in fee simple*), vel suae fidei commissas nomine aliorum (*in trust*), vel soli ut corpus morale (*corporation sole*) possident, accurate describantur; alterum in quo res suae propriae (*personal property*) aeque fideliter notentur. Hac enim ratione optime de bonis tam Ecclesiae quam Episcoporum sine ullo confusionis et quae inde sequi posset scandalosae contentionis aut sacrilegae alienationis periculo provisum erit. "Et justum est hoc apud Deum et homines, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum Episcopi, nec Episcopus vel

ejus propinqui sub obtentu Ecclesiae proscribantur." (Can. Ap. 40.)

269. Summorum Pontificum ac Praedecessorum nostrorum cura de bonis externis Ecclesiae hac in regione secure firmiterque servandis quanta fuerit, ex actis et decretis conciliorum nostrorum tam provincialium quam plenariorum apertum est. Nec minori Nos sollicitudine bonorum illorum securitati providere intenti, Episcopos iterum iterumque monemus, oneratam esse suam conscientiam, ut testamento vel alio legali documento, prout spectatis locorum adjunctis vel legum in suo Statu vigentium indole melius videtur, securae bonorum ecclesiasticorum quae penes se sunt ad successores transmissioni consulant. Hujus porro instrumenti duo exemplaria conficiant, quorum uno apud se in archivo dioecesano retento, alterum apud Archiepiscopum deponant; Archiepiscopus autem apud seniorem suffraganeum. Haec testamentorum depositio intra tres menses a sua cujusque consecratione omnino fiat. (Conc. Plen. Balt. II., No. 191. Cfr. etiam Nm. 204.)

Neque omittant de bonis suis propriis testamento accurate et solerter confecto tempestive providere quo nulla, ipsis vita decedentibus, de privata proprietate difficultas oriatur.

270. Quum securitas bonorum nostrarum dioecesium a dispositione legum civilium plane dependeat, Episcopis summae religionis esse debet curare, ut quaecumque documenta vel instrumenta in qualicumque demum bonorum illorum negotio vel ministerio adhibenda, ea ratione formaque legali describantur, conficiantur ac deponantur, ut negotia peracta non tantum in facie Ecclesiae vel foro conscientiae, sed etiam coram lege et judice saeculari valida, rata, fixaque sint. Neque in iis negotiis quae et omissis legum formis sat firma apparent, cautiones et formas a lege civili statutas negligi permit-

tant, quo firmissima et ab omni periculo secura transactio sit. In omnibus istis rebus viros in jure peritos et in tractandis negotiis versatissimos consulere nec Episcopi nec sacerdotes detrectent.

271. "Nihil enim frequentius in veterum Patrum scriptis, sacrisque Conciliorum et Ecclesiae sanctionibus legitur, quam scrinia, tabularia, archiva, conditoria et armaria, a temporum atque hominum injuria servandis rerum gestarum documentis, chartis, diplomatibus, codicibus instrumentisque constructa, unde fides et veritas rerum ad successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices antecessores Nostri singularem hanc providentiam in custodiendis ejusmodi actis et monumentis identidem ostenderunt, sed ceterarum quoque ecclesiarum pastoribus tantae rei gravitas maxime innotuit; propterea que rerum sibi creditarum testes literas ad instructionem futurorum summa fide servari voluerunt, quippe qui probe nossent quantae inde utilitates manarent." (Benedict. XIII. *Maxima vigilantia*, 14 Junii 1727.) Volumus itaque ut singuli Episcopi in loco tuto ac commodo archivum seu tabularium dioecesanum erigant, in quo instrumenta et scripturae quae negotia dioecesana tum temporalia cum spiritualia spectant, juxta mentem Benedicti XIII. et normam a S. C. Conc. statutam[1] apte disposita et diligenter clausa custodiantur. Archivi cura credita sit oportet cancellario, cujus sedulus labor multum valet in negotiis dioecesanis probe ac prompte expediendis.

272. Cum bonorum dioecesanorum tutela et superior administratio juxta sacros canones Episcopo conveniat, ad ipsius munus pertinet invigilare, ut in singulis locis suae jurisdictioni subjectis bona ecclesiastica caute sapienterque administrentur. Neque haec vigilantia in visita-

[1] Ap. *Lucidi*, l. c. p. 164.

tione pastorali solummodo exercenda est. Mandamus itaque ut quilibet Episcopus nostrarum provinciarum a rectoribus missionum, et saecularibus et regularibus (ad normam Const. *Romanos Pontifices*), locorum piorum praepositis aliisque rei ecclesiasticae curatoribus plenam et perspicuam administrationis rationem singulis annis districte exigat. Quod opus ut bene prospereque procedat, Episcopus commissionem instituere potest virorum in negotiis gerendis ac computo conficiendo apprime expertorum, cujus sit examinare et probare libros computus et rationum a rectoribus aliisque confectos. Summa rationum, in qua plene et distincte missionis proprietates, reditus, debita, census annui et foenora solvenda notata sint, a rectore ac duobus aedituis vel auditoribus, quos vocant, signata ad cancellarium mittatur, qui eam ab Episcopo recognitam in archivo dioecesano reponat. Similis ratio summaria, qua missionis conditio pecuniaria clare pateat, singulis annis intra mensem Januarium a rectore publice in coetu fidelium promulgetur.

273. Dignus est operarius mercede sua. (Luc. x. 7.) Justitia itaque et decus sacerdotii postulant ut omnibus Ecclesiae ministris decens vitae sustentatio praebeatur. Ne tamen rectus justitiae ordo turbetur, nec integram suspicio lucri minuat famam, decernimus ut Episcopi pro singulis suis dioecesibus in synodo, vel extra synodum e consultorum consilio, fixam ratamque definiant summam quae ab ecclesiarum rectoribus congruae seu salarii nomine percipi possit. Minori tamen summa contenti sint oportet sacerdotes casu quo eorum missio vel missiones per reditus suos annuos statutam congruam suppeditare nequeant, cujus rei judex erit Ordinarius, audito Consultorum consilio. Nolumus enim ut salaria ex bonis ecclesiae jam acquisitis percipiantur; et Episcopus vel dioecesis nulla lege tenetur salarii defectum

supplere, si qua de causa sacerdotes missionarii illud vel nullum vel justo minus acceperint, dummodo tamen juxta monitum Apostoli (I. Tim. VI. 8) necessaria ad alimenta et tegumenta non desint, nisi forte hic ipse necessariorum defectus, judicio Episcopi cum suis consultoribus, gravi culpa ipsius missionarii accidisset.

Inter reditus ecclesiae seu missionis adnumerari debent quaecumque collectae in ecclesia factae, nisi aliter Episcopus de iis statuerit.

274. Ad evitanda gravissima incommoda, quae facillime ob congestas undique pecunias oriri possent, nulli in posterum Episcopo, eoque minus rectori aut aliis personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, fas erit mensas argentarias tenere. Si quae adhuc existant, statuimus ut intra quinque annos a publicatis concilii nostri decretis dissolvantur, nisi longius tempus fuerit a S. Congregatione impetratum.

CAPUT III.

De Muneribus Sacerdotum praesertim Rectorum.

275. Inter multiplices sacerdotum missionariorum, praesertim rectorum, curas non ultimum locum occupat rerum temporalium sub Episcopi directione administratio. Enixe igitur hortamur rectores ut summa sollicitudine rebus suarum ecclesiarum et missionum invigilent, memores quod Deo rationem reddituri sunt non tantum de animabus fidelium sibi commissis, sed etiam de bonis Dei et Ecclesiae servitio dicatis. Oblationes fidelium et pecunias collectas ea religione usurpent, ut non solum templa, scholae domusque erigi, erecta servari, labefacta restaurari possint, sed etiam augeatur splendor cultus divini, solida puerorum educatio in dies

promoveatur, et opera caritatis Christianae majora fiant. Ut omnia recte ordinateque procedant, rectores missionum praeter regesta in Rituali Romano praescripta (ubi Libri status animarum expressa mentio fit) habeant librum computus, in quo receptae et expensae, jura et debita, perspicue et accurate suo quaeque ordine describantur. Si rectoris negligentia et gravi culpa (Vide S. Alphons., l. III., n. 555) error, ex quo ecclesiae damnum emergat, in librum irrepserit, sciat se in conscientia de damno teneri.

276. Praeterea, ne rectores et piorum locorum curatores proprias suas res rebus Ecclesiae immisceant cum famae suae discrimine, fidelium offensione, vel injuria Ecclesiae, duplex conficiant rerum inventarium. In utroque hoc inventario diligenter bona tam mobilia quam immobilia, quae ad missionem vel locum spectant, notentur; in eo vasa sacra sacramque omnem supellectilem describant; omnia recenseantur quaecumque pertinent ad domum presbyteralem, scholas et coemeterium, neque omittant indicare reditus permanentes, si qui sint, et onera quibus ecclesia vel locus subjicitur. Inventarii unum exemplar a rectore vel curatore et aedituis vel consiliariis subscriptum ad cancellarium mittatur ut in archivo dioecesano servetur, alterum in archivo missionis vel loci asservabitur. Inventarium singulis annis a rectore et aedituis vel consiliariis recognoscatur, bona intra annum acquisita vel onera suscepta addantur, quorum item catalogus rite signatus cancellario transmittatur. (Conc. Plen. ap. Maynutiam, 1876, c. XXIX.) Ne contentioni inter successorem et decessorem locus relinquatur, decernimus ut quoties sacerdos missionis cui praesit possessionem assumit, inventarium hujus missionis ad illud usque tempus rite descriptum, eidem a praedecessore vel a vicario foraneo exhibeatur. Quia de quibusdam muneribus, ut quidam ex Nobis alia occasione prudenter

notarunt, maxime rerum mobilium, ut supellectilis, ornamentorum sacerdotalium, vasorum aureorum argenteorumque, sive ab individuis fidelibus sive a sodalitatibus sponte ecclesiae rectori oblatis dubium sat frequenter oritur, utrum ad hunc pertineant an ad missionem vel ecclesiam: decernimus, nisi contrarium explicite fuerit a donatoribus declaratum, res istas esse ecclesiae proprietatem, atque ideo neque rectorem in discessu a missione, neque ejus haeredes post ipsius obitum, jus habere ad eas removendas vel vendendas. Servetur itaque regula statuta, ea scilicet quae ecclesiasticis usibus apta rectori missionario donantur, esse missioni donata, nisi contrarium clare et indubitanter pateat. (Cfr. Const. *Romanos Pontifices;* C. Westmon. II., d. VIII., n. XIII.[1])

277. Etiamsi nulla justitiae lex id hic injungat, spiritus tamen Evangelii et Christiana charitas postulant, ut ad pias causas promovendas contribuant sacerdotes ex superfluis suis, atque ut morientes in eundem finem disponant de parte saltem substantiae quam ipsos possidere contigerit. Haud raro tamen ex oblivione vel neglectu neque Ecclesiae neque pauperum recordantur decedentes presbyteri; quin et accidit, ut cum suis bona ecclesiae vel piarum causarum permixta relinquant, et ita cum scandalo fidelium atque religionis tum spirituali tum temporali damno haeredes suos ditescere sinant, aut gravibus litibus praebeant occasionem. Omnes ideo hortabatur Conc. Prov. Neo-Eboracense III., decr. VI., ut de bonis suis, si ulla essent ipsis, testamentum ad normam legum tempestive conscriberent; quod hortamentum, quia saepe hactenus neglectum, vehementer denuo inculcamus, simul monentes, ne usque ad extremum differatur ultimae voluntatis instrumenti confectio, hac praeter alias de causa, quod leges civiles non agnoscant dispositiones in pias causas per testamentum, nisi

[1] Vide in *Appendice*, p. 231.

hoc duobus saltem mensibus ante mortem fuerit conscriptum. Ad prudentiam autem confessarii pertinebit cum aegrotante sacerdote hac de re agere, antequam sacramentalem ejus confessionem excipiat. Maxime porro optandum, ut unus saltem sacerdos pietate ac prudentia commendabilis, uti executor testamenti constituatur.

278. Quo melius prospiciatur securitati pecuniarum, si quas penes se habeant, potissimum vero libris et documentis parochialibus, i. e. regestis, libro computus, inventario, testamento, contractuum syngraphis, aliisque hujusmodi scripturis, monemus, ut unusquisque rector in domo sua, vel alio loco tuto ac convenienti, habeat arcam ferream (*Safe*) quae Archivi parochialis vices impleat. In hac igitur arca libri praedicti et omnia instrumenta officialia, sive dioecesana sive civilia, tam quae res spirituales quam temporales missionis spectant, sedulo ac tuto custodiantur.

279. Si nova aliqua ecclesia sit erigenda, vel schola et domus presbyteralis, vel si hujusmodi aedificium notabiliter immutandum sit vel augendum, aut ruinosum diruendum, rectores tale opus non aggrediantur, priusquam Ordinarii licentiam scriptam obtinuerint. Hac lege non solum cavere volumus, ne aedibus eclesiasticis supervacanee aut imprudenter constructis querelarum et murmuris ansa praebeatur, sed multo potius impedire quominus ecclesiae aere alieno temere et incaute graventur. Igitur strictissime prohibemus, vetamus et interdicimus, ne quis rector, sacerdos, et pii loci curator, sive ecclesiae sive missionis sive Episcopi nomine ecclesiam suam vel locum aere alieno gravare quocumque titulo vel colore audeat, sine expressa et scriptis exarata licentia Ordinarii. Iterum iterumque non saecularibus tantum, sed etiam regularibus ecclesiarum nostrarum rectoribus sequens decretum sancte observandum injungimus, sci-

licet: "Reprobamus quoque ac damnamus eum, qui haud paucis in locis inolevit morem deponendi apud sacerdotes pecuniam ea lege, ut foenore aucta stato tempore recuperetur. Hinc enim ex nonnullorum imprudentia facile oriuntur malae suspiciones, jurgia, rixae, lites, calumniae denique, non sine gravi fidelium offensione et sacri ordinis dedecore. Praecipimus itaque ne quis hujusmodi deposita in posterum accipiat, ne eo quidem praetextu, quod sint in Ecclesiae temporale bonum, opera misericordiae aliosve bonos usus convertenda, nisi prius Episcopi venia in scriptis concedenda habeatur." (Conc. Plen. Balt. II., No. 159.) "Et illud quidem omnes pro comperto habeant, Episcopos nullo modo teneri ad solvendum, si quis clericus, contra hanc ordinationem, mutuam acceperit pecuniam aut aes alienum contraxerit. Malumus enim ecclesias omnino non aedificari, quam hujus rei causa aere alieno sacerdotem obstringi." (Litt. Past. Conc. Prov. Cinc. II.)

Ne quis vero sacerdos in proprium suiipsius commodum ecclesiam seu missionem aere alieno gravare sine Episcopi licentia audeat, commendamus ut Episcopi in suis singuli dioecesibus taliter delinquentes poenis canonicis coerceant.

280. Ad omne praecavendum injustae alienationis periculum, decernimus nulli dehinc presbytero licere, seclusa venia Ordinarii in scriptis data, nomine ac jure proprio retinere sive ecclesiam, sive scholas, sive domum presbyteralem, sive coemeterium, aut bona alia ecclesiastica, pro quorum acquisitione fideles qualicumque modo subsidia contulerint; sed ea quamprimum transferet in Ordinarium aut in societatem seu corporationem ab eodem sancitam. Quod si quis sacerdos absque permissione Ordinarii titulum talium bonorum proprio nomine per tres menses retinuerit, volumus ut canonica poena plectatur, quam singuli Episcopi pro suis dioecesi-

bus statuant. Edicimus etiam ne quis rector aut quilibet sacerdos ecclesiae pecuniam in mensa numularia privato suo nomine depositam teneat, aut mensae libellum (*Bank book*) suae privatae personae inscribi permittat. (Conc. Plen. Balt. II., No. 188.)

281. Ob gravia secus oritura incommoda monemus sacerdotes ut congruam suam seu salarium, nisi id ecclesiae donare velint, opportuno tempore exigere et percipere non negligant. Ideo statuimus eos qui pecuniam ea ratione sibi debitam infra annum a termino quo solvenda erat, percipere omiserint, aut saltem non exegerint per scriptum ab Ordinario vel ejus cancellario probatum, eo ipso renuntiasse juri suo, eosque nullo titulo postea summam istam repetere posse. Praeterea, si quis sacerdos pecuniam propriam in ecclesiae seu missionis usum mutuo conferre velit, id omnino non fiat nisi probante in scriptis Ordinario. Conficiatur insuper accurata rei notitia ab aedituis signanda, quae in archivo parochiali servetur. Item in libro rationum res referatur. (Conc. Plen. Balt. II., No. 193.)

282. Rectores summam adhibere debent curam in obtinendis proprietatum ecclesiasticarum titulis (*Deeds*). Postquam a viris peritis diligentissime recogniti fuerint, eos Episcopo probandos exhibeant, ut demum formis et cautelis tum a lege civili tum dioecesana requisitis vestiti in archivo dioecesano deponantur.

283. Propter semper imminens incendiorum periculum mandamus, ut omnia aedificia ecclesiastica contra damnum ex incendio oriundum, ab una vel pluribus societatibus fiducia publica merito gaudentibus, nomine corporationis vel Ordinarii tempestive assecurentur.

CAPUT IV.

De Aedituis vel Curatoribus et Consiliariis Laicis.

284. Sacris Literis saepe monemur, viri sapientis esse quaerere consilia prudentium. "Salus autem, ubi consilia multa." (Prov. xi., 14.) Cui veritati innixa Ecclesia nullo non tempore Episcopis aliisque ministris quibus rerum temporalium cura commissa fuit, probos viros consociavit, quorum prudenti consilio in negotiis tractandis uterentur. Hinc et nostra concilia constanter probarunt, ut parochi seu missionum rectores in administrandis Ecclesiae bonis consilium adhibeant virorum prudentium, quos inter optimos sui gregis fideles, Episcopo confirmante, selegerint, quo alacrius atque felicius pastores, negotiis externis haud ita distenti ac distracti, ovium suarum salutem promovere possint.

285. Constanter autem Ecclesia docuit nullam esse laicis et ipsis suis membris, auctoritatem in rebus Ecclesiae gerendis; aedituos et curatores laicos privilegio fuisse in atrium templi admissos, non jure. "Ad eorum munus quod attinet," ita Gregorius XVI. (Brevi, 12 Aug. 1841), "neminem ignorare volumus, illud pendere omnino ex auctoritate Episcopi, nihilque ab aedituis ecclesiae geri unquam posse, nisi quod eis fuerit ab Antistite demandatum." Et Praedecessores nostri, cum de aedituis laicis sermo fieret, declararunt: "universalem Catholicae Ecclesiae legem esse, omnes illos qui ecclesiae bona quocumque modo administrant, nonnisi consentiente Sede Apostolica vel Episcopo id licite facere, eosque in illorum administratione auctoritati et jurisdictioni Episcoporum * * * esse subjectos." (No. 202.) Igitur quicunque viri laici, approbante Episcopo, sive a rectore missionis sive a coetu fidelium electi sint, ut in bonorum

temporalium administratione Ecclesiae ministris verbo et opere auxilium ferant, maxime vero aeditui quibus a lege civili facultas data est administrandi bona ecclesiastica, graviter serioque recogitent, se omnino legibus Ecclesiae teneri; quaecunque contra canonum sanctiones vel Episcopi statuta ab eis peracta fuerint, quantumvis in foro saeculari rata firmaque habeantur, coram Deo et Ecclesia invalida haberi et nulla; seipsos vero, si bona et jura Ecclesiae usurparint, incurrisse poenas ab eadem statutas.

286. Cum in pluribus provinciis nostris rectores ecclesiarum ipsa lege constituantur ex officio ecclesiarum suarum aeditui, caute nobis providendum est ne, quando necesse fuerit rectorem aliquem munere suo privare, ipse per interjectam appellationem sententiae executionem impediat, et sic officium aeditui coram potestate civili conservet. Statuimus ergo, annuente Apostolica Sede, nullum rectorem etiam inamovibilem juridice remotum, depositum, vel munere suo privatum, contra sententiam Ordinarii *in suspensivo*, ut aiunt, appellare posse, sed *in devolutivo* tantum, ita ut desinat esse aedituus ecclesiae cujus rector erat, vel perpetuo, vel usque ad tempus quo judex *ad quem*, definitive litem terminans, eum in munus suum redintegret. Quapropter usque ad litis terminationem non definitive alius rector, sed administrator cum juribus competentibus instituetur, et Episcopus interim utriusque, tum amoti rectoris tum administratoris, honestae sustentationi providebit.

287. Ad unitatem disciplinae per omnes fere nostras provincias vigentis promovendam, quantum lex saecularis permittit, et quo certius viri optimi et fidelissimi in aedituorum, curatorum et consiliariorum numerum assumantur, sequentes regulas observatu commendamus.

I. Episcopi est judicare tum de necessitate tales auxiliarios laicos adhibendi, tum de numero eorum, tum de modo eos designandi.

II. Sicubi Episcopus hos auxiliarios a coetu fidelium eligendos esse melius judicaverit, ex iis solummodo seligendi sunt, quorum nomina ab ipso rectore ecclesiae fuerint ad hoc proposita.

III. Auxiliarii quocunque modo selecti necessario, antequam munus suscipiant, ab Ordinario in scriptis sunt approbandi; manent vero ad nutum Episcopi amovibiles.

IV. In ipsis seligendis ii tantum viri congregationis vocem sive activam sive passivam habeant, qui annos nati unum et viginti: 1. Praecepto Paschali satisfecerint; 2. Unam saltem sedem in ecclesia propria per annum elapsum conduxerint ejusque pretium solverint, aut alio debito modo, juxta ordinem constitutum ad sustentationem ecclesiae propriae contribuerint; 3. Prolem suam instituendam scholis Catholicis committere minime neglexerint, juxta normam Tit. VI., c. I. § 1 statutam; 4. Nulli societati secretae vel alias prohibitae adscripti sint.

V. Coetus aedituorum (consiliariorum, auxiliariorum) sic constituti (*Board of Trustees, Councilmen, etc.*), missionis rector ex officio suo erit praeses, sine cujus consensu nihil in coetu agendum vel statuendum est.

VI. Si qua ullo tempore discrepantia rectorem inter et aedituos vel consiliarios de rebus gerendis exoriatur, nec dissensionem pacifice componere ipsi per se valeant, controversia ad Episcopum referatur, cujus judicio ac sententiae omnes parebunt. (Conc. Plen. Balt. II., No. 201, 6°.)

Ceterum quae in Concilio Plenario superiori in titulo quarto circa aedituos promulgata sunt, de novo promulgamus et confirmamus.

CAPUT V.

De Modis Prohibitis Pecunias ad Pias Causas Colligendi.

288. Praxis, sicubi forte existat, pecuniam exigendi ad fores ecclesiae Dominicis ac Festis diebus, ut quis ingredi possit ac sacrosancto missae sacrificio interesse, jampridem eliminari debuisset. Eam enim damnavit Summus Pontifex Pius IX. et prorsus tollendam significavit.[1] Decessores quoque nostri supremo ejus judicio obsequentes finem pravae huic consuetudini omnino imponendum esse statuerunt. (Conc. Plen. Balt. II., No. 397.)

289. In unaquaque ecclesia constituatur spatium liberum ubi fideles Sacro adesse et verbum Dei audire possint. In hoc autem spatio eligendo et in eorum usum aptando, nunquam obliviscatur ille, qui ecclesiae praeest, hos homines esse Christi pauperes, et Boni Pastoris exemplo misericorditer cum illis agat, seduloque vitet quidquid eos contemnendi aut pudefaciendi specimen prae se ferre possit. Secus enim, (quod Apostolus expresse vetat) exhonorantur pauperes (Jac. II. 2–6), et timeri aliquando potest ne per pastorem ecclesiae ii, pro quorum aeque ac pro divitum animabus rationem est redditurus, a divino cultu et a vita Christiana penitus arceantur.

290. Plerisque in locis pecunia in pios usus haud exigua comparari solet per conventus quosdam, qui animorum oblectandorum causa fiunt, quique apud nos vulgo *Picnics*, *Excursions* aut simili nomine vocantur. Quum vero hujusmodi conventus, praesertim prope urbes opulentas et populosas, peccatorum et scandalorum seminaria saepe evadant, dubitatur a piis ac prudentibus viris, utrum amplius tolerandi sint an

[1] Instr. S. C. de Decr. C. Pl. Balt. II. Corrig., p. cxxxvii., n. 18.

penitus prohibendi. Provida mens eorundem Patrum (No. 396) omnibus serio perpensis, decrevit eos nonnisi omni adhibita cautela posse permitti. Quo melius igitur prudens eorum consilium finem optatum consequatur, quoque facilius via ad mala quae timenda sunt et scandala praecludatur, statuimus ut hujusmodi conventus nunquam habere liceat nocturno tempore, neque Dominicis, Festis aut esurialibus diebus, neque cum usu liquorum (ut aiunt) inebriantium, vino et cerevisia inclusis. Insuper, ut haberi possint, necessario requiratur in singulis casibus Episcopi licentia. Item de nundinis, vulgo *Fairs*, statuimus eas haberi non posse Dominicis diebus neque sine Episcopi licentia, nec cum usu liquorum inebriantium, vini et cerevisiae. Mandamus quoque ut sacerdotes illum abusum, quo convivia parantur cum choreis (*Balls*) ad opera pia promovenda, omnino tollendum curent.

291. Nulli vero Episcopo liceat veniam habendi praedictos conventus sive nundinas concedere, nisi praevio diligenti examine moraliter certus sit nulla adesse proxima peccati vel scandali pericula. Qua in re graviter oneratur eorum conscientia. Animo recolant omnes, cujuscumque gradus aut ordinis sint, Ecclesiae ministri, pecunias iniquis mediis comparatas nullam ipsis aut Ecclesiae utilitatem, sed iram Dei et ultionem potius allaturas.

292. Fama fert (quae utinam inanis mendaxque sit!) nonnullis in locis inveniri sacerdotes qui, ubi gravis culpa non apparet, sacramentalis absolutionis beneficium denegant fidelibus, qui nolint collectis stipem dare, ad quam sub peccato gravi teneri non constet; imo etiam (quod longe detestabilius est) aegrotantibus ac morti proximis adsistere ac sacramenta praebere recusant. Vix animum inducere possumus, ut quidpiam tam atrox et indignum de ecclesiarum nostrarum ministris suspicemur. Si quis vero existat, qui tale quid atten-

taverit, memores sint Episcopi se muneri suo graviter deesse, nisi in reum pro merito animadvertant.

293. Gravissima sunt verba Concilii superioris, quibus damnavit perversam agendi rationem illorum sacerdotum, qui ipsa intra missarum solemnia ab altari recedunt, aedemque sacram circumeunt, a singulis fidelibus eleemosynam petentes. Tanta vero apparet quorundam pertinacia ac in observandis etiam strictissimis legibus socordia, ut qui constituti sumus legum ecclesiasticarum custodes, alta voce decretum Antecessorum nostrorum de novo promulgare et inculcare constringamur. Notatum itaque "turpissimum abusum, Ecclesiae sacrisque ejus ritibus injurium, quique Catholicorum ruborem et indignationem, acatholicorum vero irrisionem et contemptum provocat, reprobamus et prorsus exstirpandum decernimus. Qua in re singulorum Episcoporum conscientia oneratur." (No. 364.)

294. In immensa hac regione, atque inter gentes ex variis Europae populis aut advenientes aut oriundas, ideoque indole ac moribus tam diversas, vix fieri potest, ut leges disciplinares uniformes sint pro omnibus provinciis aut dioecesibus. Itaque quod spectat ad jura stolae et taxam pro ministeriis ecclesiasticis determinandam, unusquisque Episcopus agat in synodo dioecesana, vel extra synodum auditis consultoribus eas leges ferat, quae clero ac populo suo magis convenire videantur. Meminerit autem (idque expresse in synodo commemoretur) ministeria ecclesiastica pauperibus esse gratis praestanda. Taxam quoque, si qua in synodo constituatur, Romam mittat, ut Sanctae Sedis approbationi subjiciatur.

295. Sed nec minores nec minus fundatae querimoniae ex parte tam laicorum quam ecclesiasticorum virorum audiri solent de nimia et importuna multitudine sacerdotum, sive saecularium sive regularium, qui ex alienis regionibus huc variis de causis mendicaturi adveniunt.

Ex istis enim non pauci, non petita venia Ordinariorum aut rectorum, imo utrorumque non raro spreta prohibitione, cum nostratum scandalo et causarum loci piarum detrimento, de domo in domum transeunt, aut operariorum in officinis vel ad opera publica congregatorum nummos audacter emendicant, qui plerumque templis aliisque aedificiis minime necessariis destinantur. Huic ergo malo nullum aliud remedium nacti, volumus et edicimus ut in posterum nullis qui ad colligendum venisse sciuntur, venia detur a rectoribus vel unica vice celebrandi missam (quod tamen de regularibus in monasteriis proprii ordinis privatim celebrantibus intelligi nolumus) donec ab Ordinario ipso hanc veniam acceperint; utque nullis hujusmodi quaestoribus colligendi concedatur licentia, nisi eorum Ordinarius vel Ordinis Praefectus ipsi per litteras praevias eam pro iisdem obtinuerint ab Episcopis in quorum dioecesibus eleemosynas rogare desiderant. Praeterea continuo exposcatur ab eorum Episcopo vel Superiori, ut eos revocent; qui si id facere noluerint vel neglexerint, ad S. Congregationem de Prop. Fide sine mora abusus corrigendus deferatur.

296. Magnopere sane dolendum est, decretum a Praedecessoribus nostris in ultimo Concilio Plenario sapientissime latum No. 370, multis in casibus observatum plane non fuisse. Hinc iterum iterumque declaramus, "esse abusum non tolerandum et rei sacrae profanationem," quod sive in ephemeridibus sive in foliis encyclicis (*Circulars*) publice offerantur missae pro iis omnibus dicendae, qui ad aedificandas ecclesias, conventus aliasque hujusmodi aedes, aut ad solvenda harum institutionum debita, aut ad quodcumque aliud pium opus eleemosynas contulerint. Hunc abusum vehementer reprobamus, et prohibemus; Episcopos vero et Praelatos enixe obsecramus ut praedictum abusum, ubi viget, tolli et in posterum ubique praecaveri curent.

TITULUS X.

De Judiciis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Curiis Episcopalibus Constituendis.

297. Quod Sancta Sedes diu in votis habuit, quodque Nos quoque toto corde desideramus, scilicet: ut modus regiminis Ecclesiae Dei in his regionibus plus minusve provisorius ac legibus specialibus pro particularibus rerum et locorum adjunctis efformatus, in statum firmiorem ac legi communi magis conformem transeat, hoc praeterquam in aliis disciplinae capitibus, etiam in Judiciis Ecclesiasticis instituendis assequi Nos posse censemus. Itaque "ut unicuique jus suum aequaliter reddatur; ut negotiorum et causarum, quae in * * * curia tractantur, ordinatissima ratio constet; sublatisque rerum confusionibus et noxiis dilationibus, judiciales controversiae non minus rectum, quam expeditum cursum et finem obtineant" (Bened. XIV. *Justitiae et pacis*, 4 Oct. 1746), statuimus ac omnino praescribimus ut in singulis nostrarum provinciarum dioecesibus curiae Episcopales quamprimum constituantur, vel saltem ultra triennium post Concilii promulgationem haec curiarum constitutio non differatur sine S. Congr. de Prop. Fide dispensatione obtinenda pro dioecesibus in quibus intra hoc tempus id fieri nequeat. Ita namque in rebus disciplinaribus clericorum tractandis certius eveniet quod exoptat S. Congr. de Prop. Fide, cujus, ut profitetur,

magnopere interest "in ecclesiasticis judiciis eam methodum servari, quae et temporum circumstantiis opportune respondeat, et regulari justitiae administrationi; necnon Praelatorum auctoritati tuendae, querelisque reorum praecavendis par omnino sit." Cur deinde in singulis dioecesibus tribunal ecclesiasticum pro omnibus causis matrimonialibus instituendum mandamus, necessitatis ratio Nobis offertur hisce verbis Benedicti XIV.: "Ut in hoc gravissimo judiciorum genere, in quo de sacro connubiorum foedere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque judices non sine certissima cognitione omnium, quae ad rem maxime conducunt, hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile, sententiis suis tanquam irritum ab initio dissolverent." (*Si Datam*, 4 Mart. 1748.[1])

298. Interim vero, quamdiu ex dispensatione S. Sedis curia in aliqua dioecesi constituta non est, illic observari debet Instructio de Commissione Investigationis,[2] 20 Julii 1878, cum responsione subsequenti ad proposita dubia;[3] necnon ea quae hac de re in nuperrima Instructione S. Congregationis de Prop. Fide super clericorum causas disciplinares,[4] articulo XII., notantur.

CAPUT II.

De Officialibus Curiae Episcopalis.

§ 1. *In Causis Disciplinaribus Clericorum.*

299. Ad majorem hac in re gravissima perspicuitatem promovendam, Patribus visum est, singulos curiae officiales et cujusque officia enumerare, observatis articulis Instructionis modo citatae.

[1] Apud *Lucidi*, l. c., p. 411.
[2] Vide in *Appendice*, p. 292.
[3] *Ibid.*, p. 296.
[4] *Ibid.*, p. 287.

Officiales curiae ordinarii et necessarii sunt Judex, Procurator Fiscalis, Defensor, Cancellarius. His autem Episcopus pro rerum necessitate addere potest Auditorem (vel Actorum Redactorem) pro compilatione processus seu pro processu informativo conficiendo; Notarium (notarios) seu Actuarium pro actibus conscribendis; apparitores pro intimationibus vel notificationibus faciendis. (a. XIV.)

300. Judex non alius est nisi Ordinarius, cui soli competit in tota dioecesi jurisdictio fori externi, quique pro suo pastorali munere tenetur disciplinam correptionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta sive praecavendis sive tollendis abusibus in clerum aliquando irrepentibus provide adhibeat. (a. I.) Itaque, si quae in clero corrigenda comperit, Episcopus prius quidem, in quantum rei natura ac gravitas sinat, patris partes agat, ac remedia praeventiva ad scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas adhibeat. Si vero haec remedia non proficiant, vel aliter sacri canones requirant, Episcopus judicis personam, sive per se sive potestate delegata per alium, agere debet ac summis viribus inniti ut veritas rei, i. e. aut innocentia aut culpa accusati clare aperteque appareat, et poenae a sacris canonibus statutae provide adhibeantur; aut probatione deficiente accusatus dimittatur. (a. II.)

301. Procurator Fiscalis (qui etiam Promotor et Advocatus Fiscalis nominatur) ab Episcopo constituitur "ut justitiae et legi satisfiat." (a. XIII.) Generale igitur ejus officium est, justitiam et legem tueri, ne violentur; si vero violatae sint, vindicare. Itaque quando earum violationem quoque modo comperit, apud Episcopum instabit, ut inquisitio instituatur, et si opus fuerit, judicialiter in inquisitum procedatur. Quod si Episco-

pus faciendum esse judicaverit, procurator fiscalis ab eo accipit mandatum causam agendi et processum promovendi. Sit quidem nunquam immemor, se contra fratrem causam agere, sed etiam firmo semper ducatur proposito "ut justitiae et legi satisfiat." Ejus praesentia in causa criminali tam necessaria est, ut eo absente judicium esse nequeat. Accepto igitur mandato, procurator apud Episcopum instat, ut vel ipse per se vel per vicarium generalem, vel per auditorem processum informativum incipiat et conficiat; ut testes citentur et examinentur, nec non ipse reus; si comparere sine causa recuset, debito modo contumax declaretur; ut contestatio litis locum habeat; ut reo defensor vel approbetur vel, si reus ipsemet defensorem designare recuset, ex officio designetur; ut dies pro causa proponenda indicetur; ut defensor defensionem in scriptis peragat; ut dies pro sententia ferenda designetur; ut sententia feratur, intimetur et, nisi appellatio interponatur, executioni mandetur; uno verbo "ut justitiae et legi satisfiat."

302. Defensorem, qui semper sit vir ecclesiasticus, ut S. Congregatio petentibus Episcopis expresse declaravit, sibi eligendi accusato jus est; judex tamen electum ex justa causa recusare, et alterius a se approbandi substitutionem exigere potest; vel si accusatus hoc suo jure uti nolit, defensor ab Episcopo designandus est. Itaque die pro causa proponenda statuto, vel solus vel cum reo in curia comparet. Ut paratus accedat, "debitis sub cautelis in cancellaria curiae processum ejusque summarium inspiciet," et si velit etiam exemplar exscriptum obtineri poterit, acta autem secum domum auferre ipsi non licet. "Ipse quoque ad jusjurandum de secreto servando tenetur, quando judex indolem causae id postulare censuerit." (a. XXXII.)

303. Cancellarius secundum instructiones a judice vel

auditore vel procuratore fiscali sibi datas, actus conficit, eosque obsignat, si ad eorum validitatem requiritur.

§ 2. *In Causis Matrimonialibus.*

304. In agendis hisce causis pro rei gravitate exacte servetur tum Constitutio Benedicti XIV. *Dei Miseratione*, 3 Nov. 1741,[1] tum Instructio a S. Congr. de Prop. Fide Nobis communicata quae incipit *Causae Matrimoniales*.[2] Utiliter etiam consuli poterit Instructio pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci in causis matrimonialibus, a. 1855 a gravibus theologis et canonistis Romanis, licet solo privato suo judicio, commendata.[3]

305. Tribunalis Matrimonialis quinam sint Officiales et quaenam eorum munera breviter indicabimus.

I. Quoad competentiam judicis servetur Instr. S. C. supra cit., § 2. Episcopus si nolit ipsemet quae in toto processu agenda sunt moderari, ad hoc munus (Auditoris, Moderatoris) delegabit suum vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero. Auditori Episcopus, si velit, delegare potest etiam facultatem promulgandi sententiam, dummodo prius ab ipso, rationibus serio perpensis, approbata fuerit. (Instr. S. C. cit., §§ 6, 24.)

II. Auditoris seu moderatoris est tribunal convocare, partes et testes citare, ordinare investigationes, viros peritos ad eas instituendas deputare, edere decreta pro recta actorum compilatione; uno verbo, omnia praestare tam in disquisitione praevia, quam in processu probatorio, quae judicis propria sunt.

III. Defensor matrimonii sit vir ecclesiasticus, juris scientia pariter ac vitae probitate praeditus. "Ad officium autem defensoris matrimoniorum hujusmodi * * * spectabit in judicium venire quotiescumque con-

[1] Apud *Lucidi*, l. c., p. 588.
[2] Vide in *Appendice*, p. 262.
[3] In *Collect. Lacensi CC. Rec.*, t. V., col. 1286, sqq.

tigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari, eumque opportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit. Et demum defensoris hujusmodi persona tanquam pars necessaria ad judicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in judicio. * * * Quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus." (Bened. XIV., l. c., §§ 6, 7.)

IV. Notarius (Secretarius, Cancellarius, Actuarius) eo praesertim fine constituitur, ut totius processus protocollum excipiat, notando scilicet dicta et facta omnia judicialia, nominatim interrogationes examinandis factas eorumque responsiones; referendo in actis quidquid ad causam pertinet. Praeterea plura instrumenta in processu conficienda, ut fidem in posterum facere valeant, a notario signata sint oportet, ut apparet ex Instr. S. C. cit.

306. Officiales praedicti, puta auditor, defensor matrimonii et notarius ab Episcopo nominantur, qui eos si justa ratio fuerit suspendere vel etiam removere potest, eisque alios substituere viros debitis dotibus praeditos, et quibus nulla ex parte exceptionis nota opponi possit. (Instr. S. C. cit., § 7.)

307. Advocatos seu defensores quidem conjugibus adducere fas est, ut sua jura tueantur, eorumque consilio uti, quemadmodum in Instr. S. C. cit., § 23, declaratur. Per se patet advocatos a testibus, eorumque allegata personalia a testimoniis plurimum differe; quodsi vero illi negotium pertubarent, ab actorum moderatore intra justos limites coercendi essent, vel etiam a tribunali excludi possent, ut in superius memorata Instructione Archiep. Viennensis, § 143, monetur.

CAPUT III.

De Modo Procedendi in Causis Criminalibus Clericorum.

§ 1. *De Modo Extrajudiciali.*

308. Ut in praesenti negotio tum rectus ordo facilius servari, tum uniformitas in singulis dioecesibus ab initio stabiliri possit, modum processus juxta S. Congregationis instructionem instituendi paulo uberiorem proponimus.

Quando ad aures Episcopi pervenit aliquo in loco peccari vel praecepta clero imposita negligi, Episcopus inquirere tenetur, utrum abusus vel delictum quod ad eum defertur vere existat ac cujus naturae et gravitatis sit, ut in conscientia judicare possit, utrum ulla omnino et quae remedia adhibere debeat.

Inquisitio quam instituet erit aut generalis aut specialis: generalis, quando abusus vel delictum tantum sine delinquentis nomine ad Episcopi notitiam venit; specialis, quando una cum abusu vel delicto etiam nomen delinquentis ad eum delatum est.

Episcopus hanc inquisitionem instituit vel ipse per se, vel per alium virum ecclesiasticum ab ipso deputatum. Si testes examinandi sunt, secreto et singillatim fiat. Ceterum vero curet, ut tum testium depositiones tum informationes aliaeque hujusmodi probationes scripto tradantur et in Curia serventur, "ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat." (a. v.)

Hac inquisitione peracta, Episcopus judicat, utrum probationes, vel saltem indicia in aliquo pretio habenda sufficienter adsint, quae eum ad ulterius procedendum contra inquisitum adigant.

309. Si ulterius procedere debet, et natura ac gravitas abusus vel delicti de quo inquiritur sinit, non statim ad processum judicialem transeat, sed modo extrajudiciali media adhibeat praeventiva, quae praecipue sunt: Exercitia Spiritualia, Monitiones et Praeceptum. (a. IV.)

Secreto igitur inquisitum ad se arcessat; quae contra eum exstant accusationes ipsi pandat, quin tamen originem notitiae et deponentes eidem notos faciat; modo paternae correptionis (Matt. XVIII., 15-17.) eum moneat, ut ad sensus meliores redeat.

Si vero eum arcessere nolit, per epistolam vel per interpositam personam monitiones paternas ipsi mittat, sine ulla tamen comminatione poenae. (a. VI.)

Si inquisitus accedat et ad accusationem destruendam pervenerit, vel etiam si ab incepto desistere promittat et malum reparare, ac reapse satagat ut promissa exequatur, nihil ultro est agendum. At si non accedat, vel aliter monitiones paternas spernat, Episcopus monitiones canonicas adhibebit, servata omnino forma legali. Tres numero fiant, sex dierum spatio explendae, hoc est, biduo inter unam et alteram intercedente, et modo "ut illarum executio ex aliquo actu pateat." (a. VI.)

"Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius jubet per curiam delinquenti analogum praeceptum intimari, ita ut in hoc explicetur, quod ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgrediatur, incurret." (a. VII.) Actus injunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delinquente etiam, si velit. Vicarius generalis jusjurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a rei natura, de qua agitur, id requiratur. (a. VIII.)

Quod si accusatus ne praeceptum quidem observet, relicta via extrajudiciali, jam ad processum judicialem deveniendum est.

310. *Nota.* Praeter hunc modum extrajudicialem, quo Episcopus clericum inquisitum praeventivis remediis corrigere studet, quoque ad processum judicialem, si eo deveniendum sit, viam sibi sternit, modus quidam extrajudicialis ad remedia repressiva seu poenas pertinens in suo pleno vigore manet, scil. remedium extrajudiciale *ex informata conscientia* pro occultis reatibus a Conc. Trid. (Sess. XXIV., c. 1 de Ref.) constitutum.[1] Animadvertant autem Episcopi, hoc uno casu excepto, nullam poenam repressivam adhiberi debere, nisi praevio processu judiciali, ita ut etiam in causis, quae dicuntur *ex notorio*, omnino consultius sit processum summarium de delicti notorietate instruere, antequam poena infligatur.

§ 2. *De Modo Judiciali.*

311. Processum judicialem Episcopus instruere debet, vel ob inobservantiam praecepti, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem, eumque summarie et sine strepitu conficiat. (a. X.)

"Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello vel accusatione, vel nuncio quoquo modo ad curiam perlato, et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine, tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetur." (a. XI.)

Instat igitur procurator fiscalis, ut processus instruatur; Episcopus autem dat ipsi mandatum causam agendi et processum promovendi.

Compilatio processus (seu processus informativus) committi potest probo ac perito viro ecclesiastico (Auditori, Actorum Redactori), cui assistat actuarius, qui sit cancellarius dioeceseos. (a. XII.)

Si causa agitur de reatibus communibus, aut de legum ecclesiasticarum transgressione, fundamentum processus,

[1] Vide Instr. S. C. de P. F., in *Appendice*, p. 298.

i. e. ratio bene fundata cur processus instituatur, erui potest jam ex facti expositione Episcopo vel procuratori fiscali data quando factum ad ipsos primo delatum est. Quae expositio authenticis informationibus vel confessione extrajudiciali, vel testium depositionibus, etiam extrajudicialiter factis, ita confirmetur ut appareat processum solido fundamento inniti et calumniam excludi. Transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis ad normam aa. VII. et VIII. factae deducitur.

"Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur, quocumque rationabili dubio oppositi remoto." (a. XVI.)

Legalis probatio autem praecipue efficitur ex depositionibus testium. Ergo judex vel auditor nunc testes citabit et examinabit eo modo iisque cautelis quae in aa. XVII–XX. praescribuntur. Si praeter jusjurandum de veritate dicenda, etiam jusjurandum de secreto servando a testibus requiritur, sciendum, eos hoc ulteriori jurejurando teneri usque ad legalem depositionum publicationem, non amplius.

312. "Ubi id omne, quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus intimatione scripta ad examen vocatur." (a. XXI.) Cavendum est ne vocetur antequam omnia collecta fuerint, quae facti existentiam atque imputati culpam ostendant. "In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra reum perlatae per extensum referuntur, ut ad responsionem se praeparare possit" (a. XXII.), et quidem in scriptis. Attamen, si ob accusationum qualitatem, vel alia de causa, haud expediat ut in intimatione exprimantur, in hac satis erit innuere ipsum ad examen vocari, ut in causa de qua contra eum fit inquisitio sese defendat.

313. Quod "si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum·tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse judicandum; quam intimationem si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habebitur." (a. XXIV.) Notandum, quamvis contumacia argumentum reitatis maximum quidem suppeditet, quod confessioni comparatur, reitatem tamen contumacis non esse praesumendam, sed legaliter probandam, eodem modo ac si contumax in curia adesset.

314. "Verum si ad examen accedat, audiatur; et ubi inductiones alicujus valoris exhibeat, eae quantum fieri potest, accurate discutiantur." (a. XXV.) "Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur et in poenas canonicas incurrisse censeatur." (a. XXVI.)

Itaque coram accusato legendae sunt testium depositiones, et conclusiones ex illis deductae. "Inquisitus, ubi ex his noverit, quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit, utetur jure defensionis a se ipso in scriptis peragendae." (a. XXVII.) Nomina autem testium durante processus confectione non prodantur, sed tantum publicato processu [*i. e. defensoris inspectioni submisso, juxta a.* XXXII.], ut possint exceptiones contra eos fieri. Potest etiam alios testes, praeter jam examinatos, producere, qui ab auditore examinandi sunt.

Responsa, exceptiones, etc. accusati scripto tradantur a cancellario. Tota depositio ipsi legatur, ut ipse sua manu, quae reposuit, subscribat; deinde subscribent judex et cancellarius.

315. Absoluto processu (informativo) redactor actorum summarium praecipuorum argumentorum quae ex

ipso elucent, conficiat et judici tradat, qui illud procuratori fiscali quam primum transmittet. (aa. XXIX., XXXIII.)

Episcopus, instante procuratore, diem pro causa in curia proponenda designat. "Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine in scriptis exhibendi." (a. XXX.) Reus igitur ipse comparere non tenetur, sed potest; debet autem defensorem aut ipse sibi deputare, aut ab Episcopo ex officio designatum accipere, qui defensionem ante causae ipsius propositionem scripto exhibebit procuratori fiscali. (a. XXXII.)

Defensione peracta, procurator processum ejusque summarium ad Episcopum mittit, "qui, ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet, in qua sententia dicenda sit." (a. XXXIII.) "Praestituta die, ab Episcopo vel vicario generali, praesente procuratore fiscali et defensore, sententia pronunciatur, ejusque pars dispositiva cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur." (a. XXXIV.)

Sententia reo intimetur (vel ejus defensori), qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere. (a. XXXV.)

316. In casu appellationis omnia agantur, quae in aa. XXXVI.–XLIV. satis clare exstant.[1] Quodsi a judicio curiae metropolitanae primae instantiae ad aliam curiam appellandum sit, appellatio ex speciali concessione S. Sedis (ut etiam in Instr. S. C. pro causis matrim. § 26, determinatum est) fiet ad Metropolitanum viciniorem.

In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii S. Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent. (a. XLIII.)

[1] Const. Bened. XIV. *Ad militantis Ecclesiae*, vide ap *Lucidi*, l. c., p 118.

TITULUS XI.

De Sepultura Ecclesiastica.

CAPUT UNICUM.

317. Summa sapientia Decessores Nostri in Superiori Concilio (No. 392), "ob conditionem in qua nostrates versantur," dijudicaverunt mitigandum esse rigorem legis in Conc. Plen. Balt. I. latae, qua vetitum fuit ritus ecclesiasticos adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliebantur in coemeterio alieno, ubi aderat coemeterium Catholicum. Quum enim plures quotidie ad fidem convertantur, quorum consanguineorum corpora in fundo domestico alieni coemeterii conduntur; et eodem modo, multi Catholici proprium fundum jam ante possiderent quam lex fuit lata (anno 1853), vel certe sine ulla fraude post legem acquisierint, durum ipsis videtur, post mortem ecclesiastico ritu funeris omnino privari, nisi sepulturam sibi elegerint ab ea consanguineorum et affinium sejunctam. Hinc plurium acatholicorum animi ab Ecclesia alienantur, aliquandoque etiam fideles et conversorum consanguinei, qui inter ipsius mortis tristitias legis rigorem incusant, odia adversus Ecclesiae ministros suscipiunt et quandoque a fide omnino deficiunt.

318. Ad haec igitur mala praecavenda, et ad omnem ambiguitatem a Patrum verbis amovendam; quum agitur de sepultura eorum qui fuerunt ad fidem conversi, et quorum superstites acatholici fundum domesticum in

alieno coemeterio habent; vel etiam de istis Catholicis, qui pariter ante legem latam proprium fundum habuerunt, vel certe sine ulla fraude post legem acquisierunt, declaramus, in istis casibus licere ritus ecclesiasticos adhiberi, sive domi sive in ecclesia, quotiescumque id ab Episcopo, ob graves rationes, interdictum non fuerit; et declaramus insuper, correctionem S. Congr. de Prop. Fide de loculo benedicendo, et supradicto decreto adjunctam, in istis etiam casibus esse observandam. His casibus exceptis, nunquam rectori animarum licebit dictos ritus adhibere in sepultura fidelium in alieno coemeterio, nisi de expressa Ordinarii licentia.

319. Demum omnes ecclesiarum rectores graviter monemus, ipsis veram incumbere obligationem de coemeteriis Catholicis rite et decenter custodiendis, ne ex eorum conditione sordida aut neglecta fideles justam conquerendi causam habeant, et suorum corpora in eis tumulare aversentur.

TITULUS ULTIMUS.

De Concilii Decretorum Promulgatione et Efficaciori Executione.

Ne ullus supersit dubitandi locus de tempore, quo incipiet obligatio suscipiendi et exequendi Decreta Concilii hujus Plenarii Baltimorensis Tertii, et ne qua obtendi possit excusatio ob negligentiam vel moram, si qua fuerit, in iisdem per singulas provincias et dioeceses promulgandis, declaramus et omnibus notum facimus cuncta et singula, quae in hoc Concilio Plenario Baltimorensi Tertio decreta et constituta sunt, vim suam habere plenariosque et integros effectus sortiri per universas hujus regionis ecclesias, statim ac per Reverendissimum Delegatum Apostolicum promulgata fuerint, quin opus sit ea denuo in synodis provincialibus aut dioecesanis promulgare. Nihilominus, tam ad cautelam quam ad solemnitatem, ecclesiasticam legem sequentes volumus ut quamprimum post promulgationem a Rmo. Delegato Apostolico factam, in synodis provincialibus et dioecesanis iterum promulgentur, quo facilius omnibus innotescant mediaque idonea provideantur, quibus Concilii decreta melius et efficacius executioni mandentur.

Ego, Jacobus Gibbons, Archiepiscopus Baltimorensis, et Sedis Apostolicae Delegatus, definiens subscripsi.

Ego, Petrus Ricardus Kenrick, Archiepiscopus Sancti Ludovici, definiens subscripsi.

Ego, JOSEPH S. ALEMANY, O. P., Archiepiscopus Sancti Francisci, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES B. LAMY, Archiepiscopus Sanctae Fidei, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES JOSEPH WILLIAMS, Archiepiscopus Bostoniensis, definiens subscripsi.

Ego, CAROLUS JOANNES SEGHERS, Archiepiscopus Oregonopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, MICHAEL HEISS, Archiepiscopus Milwaukiensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS A. FEEHAN, Archiepiscopus Chicaginensis, definiens subscripsi.

Ego, GULIELMUS HENRICUS ELDER, Archiepiscopus Cincinnatensis, definiens subscripsi.

Ego, FRANCISCUS X. LERAY, Archiepiscopus Neo-Aurelianensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS JOANNES RYAN, Archiepiscopus Philadelphiensis, definiens subscripsi.

Ego, MICHAEL AUGUSTINUS CORRIGAN, Archiepiscopus Petrensis, Coadj. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS G. RIORDAN, Archiepiscopus Cabasensis, Coadj. S. Francisci, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES B. SALPOINTE, Archiepiscopus Anazarbensis, Coadj. S. Fidei, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES LOUGHLIN, Episcopus Brooklyniensis, definiens subscripsi.

Ego, LUDOVICUS DE GOESBRIAND, Episcopus Burlingtonensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES HENNESSY, Episcopus Dubuquensis, definiens subscripsi.

Ego, EDUARDUS FITZGERALD, Episcopus Petriculanus, definiens subscripsi.

Ego, GULIELMUS GEORGIUS McCLOSKEY, Episcopus Ludovicopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, GULIELMUS O'HARA, Episcopus Scrantonensis, definiens subscripsi.

Ego, BERNARDUS J. McQUAID, Episcopus Roffensis, definiens subscripsi.

Ego, TOBIAS MULLEN, Episcopus Eriensis, definiens subscripsi.

Ego, JOSEPH P. MACHEBEUF, Episcopus Epiphaniensis, Vic. Ap. Colorado, definiens subscripsi.

Ego, THOMAS A. BECKER, Episcopus Wilmingtonensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES JOSEPH HOGAN, Episcopus Kansanopolitanus, Adm. S. Joseph, definiens subscripsi.

Ego, STEPHANUS VINCENTIUS RYAN, C. M., Episcopus Buffalensis, definiens subscripsi.

Ego, JEREMIAS FRANCISCUS SHANAHAN, Episcopus Harrisburgensis, definiens subscripsi.

Ego, CASPARUS HENRICUS BORGESS, Episcopus Detroitensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS THOMAS O'REILLY, Episcopus Campi Fontis, definiens subscripsi.

Ego, LUDOVICUS MARIA FINK, O. S. B., Episcopus Leavenworthensis, definiens subscripsi.

Ego, FRANCISCUS McNEIRNY, Episcopus Albanensis, definiens subscripsi.

Ego, JOSEPH DWENGER, C. PP. S., Episcopus Wayne-Castrensis, definiens subscripsi.

Ego, RICARDUS GILMOUR, Episcopus Clevelandensis, definiens subscripsi.

Ego, EDGARUS P. WADHAMS, Episcopus Ogdensburgensis, definiens subscripsi.

Ego, THOMAS F. HENDRICKEN, Episcopus Providentiae, definiens subscripsi.

Ego, GULIELMUS H. GROSS, C.SS.R., Episcopus Savannensis, definiens subscripsi.

Ego, FRANCISCUS MORA, Episcopus Montereyensis et Angelorum, definiens subscripsi.

Ego, DOMINICUS MANUCY, Episcopus Adm. Mobiliensis et Brownsvillensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES JOSEPH KAIN, Episcopus Velingensis, definiens subscripsi.

Ego, RUPERTUS SEIDENBUSCH, O. S. B., Episcopus Haliensis, Vic. Ap. Minnesotae Sept., definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS AUGUSTINUS HEALY, Episcopus Portlandensis, definiens subscripsi.

Ego, Franciscus X. Krautbauer, Episcopus Sinus Viridis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Ireland, Episcopus Sancti Pauli, definiens subscripsi.

Ego, Jacobus O'Connor, Episcopus Dibonensis, Vic. Ap. Nebraskae, definiens subscripsi.

Ego, Joannes L. Spalding, Episcopus Peoriensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Moore, Episcopus Sancti Augustini, definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Silas Chatard, Episcopus Vincennopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Keane, Episcopus Richmondensis, definiens subscripsi.

Ego, Laurentius S. McMahon, Episcopus Hartfordiensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Vertin, Episcopus Marionopolitanus et Marquettensis, definiens subscripsi.

Ego, Aegidius Junger, Episcopus Nesquallensis, definiens subscripsi.

Ego, Martinus Marty, O.S.B., Episcopus Tiberiadis, Vic. Apost. Dakotae, definiens subscripsi.

Ego, Joannes B. Brondel, Episcopus Helenensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Ambrosius Watterson, Episcopus Columbensis, definiens subscripsi.

Ego, Patritius Manogue, Episcopus Vallispratensis, definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Janssens, Episcopus Natchetensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes C. Neraz, Episcopus Sancti Antonii, definiens subscripsi.

Ego, Kilianus C. Flasch, Episcopus Crossensis, definiens subscripsi.

Ego, Venantius Michael Wigger, Episcopus Novarcensis, definiens subscripsi.

Ego, Michael Joseph O'Farrell, Episcopus Trentonensis, definiens subscripsi.

Ego, Henricus P. Northrop, Episcopus Carolopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, Nicolaus Aloysius Gallagher, Episcopus Canopensis, Adm. Galvestonensis, definiens subscripsi.

Ego, Henricus Joseph Richter, Episcopus Fluminis Rapidi, definiens subscripsi.

Ego, Joseph Rademacher, Episcopus Nashvillensis, definiens subscripsi.

Ego, Dionysius Bradley, Episcopus Mancestriensis, definiens subscripsi.

Ego, Henricus Cosgrove, Episcopus Davenportensis, aefiniens subscripsi.

Ego, Camillus Paulus Maes, Episcopus electus Covingtonensis, definiens subscripsi.

Ego, Alphonsus J. Glorieux, Vic. Apost. electus Idahensis, definiens subscripsi.

Ego, Thomas L. Grace, Episcopus Mennitensis, definiens subscripsi.

Ego, Eugenius O'Connell, Episcopus Joppensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Conroy, Episcopus Curiocensis, definiens subscripsi.

Ego, Isidorus Robot, O. S. B., Abbas, Praefectus Apost. Territ. Indorum, definiens subscripsi.

Ego, Ricardus Phelan, V. G., Procurator Episcopi Pittsburgensis, definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Hubertus Zabel, S. T. D., Procurator Episcopi Altonensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes N. Lemmens, Procurator Administratoris Vancouveriensis, definiens subscripsi.

Ego, Bonifacius Wimmer, O. S. B., Archiabbas S. Vincentii, definiens subscripsi.

Ego, Fintanus Mundwiler, O. S. B., Abbas S. Meinradi, definiens subscripsi.

Ego, Eduardus Sorin, Superior Generalis Congr. S. Crucis, definiens subscripsi.

Ego, Alexius Edelbrock, O. S. B., Abbas S. Joannis, subscripsi.

Ego, Innocentius Wolf, O. S. B., Abbas S. Benedicti, subscripsi.

Ego, FROVENIUS CONRAD, O. S. B., Abbas Neo-Montis Angelorum, subscripsi.

Ego, M. BENEDICTUS, Abbas Cisterciencis de trappa, Gethsemani, subscripsi.

ROBERTUS SETON, *Protonotarius Apostolicus.*

JACOBUS ANDREAS CORCORAN, Antistes Urbanus, HENRICUS GABRIELS, SEBASTIANUS G. MESSMER, DIONYSIUS J. O'CONNELL,	*a Secretis.*

GEORGIUS G. DEVINE, JOANNES S. FOLEY,	*Cancellarii.*

APPENDIX.

APPENDIX.

LITERAE APOSTOLICAE DE CANONICA ERECTIONE COLLEGII AMERICANI, ROMAE.

[*Ad p.* LXV.]

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ubi primum latissimae Americae Septentrionalis plagae deductis ex Europa coloniis frequentia populorum celebrari coeperunt, Romani Pontifices Praedecessores Nostri ad eam regionem oculos convertentes in qua modo florentissima ex foederatis statibus Respublica constituta est, omnes sollicitudines et studia sua in id contulere, ut catholica fides, quaeque ex ea dimanant in civitates bona, non modo inter Christifideles manerent incorrupta, sed etiam inter gentes sive barbaras sive ex diversis orbis partibus illuc immigrantes, quamvis, origine, lingua, moribus, religione dissitas, inducerentur.—Ad hos salutares fructus assequendos maxime valuerunt, tum virorum apostolicorum delectus quos undique conquisitos in eas provincias mittere nunquam destiterunt, tum sedulae assiduaeque curae Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando, cuius consiliis et ministeriis Iidem perpetuo usi sunt, ut septentrionalis Americae spirituali utilitati consulerent.—Porro eadem Sacra Congregatio Decessoribus Nostris operam navans, inter alia sui studii argumenta erga eam regionem, hoc etiam exhibuit, ut nempe admissis in Urbanianum Collegium eius regionis alumnis, ex iis novos in dies Evangelii praecones in urbe totius christiani Orbis principe, in ipsis Pontificum oculis ad pietatem et scientiam pro Americae borealis gentibus diligenti

institutione informandos, opportune curaret. Illustris autem Americanae gentis electa pars tot tantisque Summorum Pontificum dilectionis testimoniis ita respondit, ut quam de se expectationem excitaverat, eidem luculenter re ipsa satisfecerit. Egregia enim semper argumenta praebuit sui studii erga catholicam religionem, ac filialis obedientiae devotaeque voluntatis erga Apostolicam Sedem, Eique firmis obsequii vinculis sese devinctam ostendit. Qua in re praecipuam commendationem sacri eius regionis Pastores sibi vindicant, quorum concordibus et assiduis laboribus brevi eo res adductae fuere, ut amplissima Episcopali Hierarchia per memoratos status constituta, religiosis Ordinibus invectis, Catholica institutione diffusa, veluti novum Ecclesiae spirituale regnum in iis regionibus effloruerit.

Haec magna cum consolatione intuentes Romani Pontifices sui muneris, paternaeque suae erga illustrem illam partem dominici gregis benevolentiae esse duxerunt, ut maiora etiam in eius utilitatem peragenda curarent. Quapropter inclitus Decessor Noster fel. rec. Pius IX nihil ad religionis incrementum utilius, ad Pontificiam munificentiam opportunius existimavit quam providere, ut quemadmodum plures ex aliis exteris nationibus, sic foederati Americae Septentrionalis status suam in Urbe domum altricem haberent in qua delecti iuvenes sacris studiis sacraque disciplina instituendi, ad exercendum deinde in patria sua uberi cum fructu sacerdotale ministerium exciperentur.—Quod feliciter mente conceperat illustris Decessor Noster, operam etiam dedit, ut omni sublata mora ad exitum perduceretur. Itaque Eius iussu a Sacro Consilio Christiano nomini propagando coempta in urbe domus, quae Sacrarum Virginum a Visitatione Deiparae antea fuerat, Collegio alumnorum Septentrionalis Americae addicta, perpetuumque in usum attributa est; simulque anno 1858 die solemni Sanctae Dei Matris sideribus receptae ab eodem Sacro Consilio litterae datae, quibus eiusdem Collegii erectio pro foederatis Americae Septentrionalis statibus decernebatur. Collegium quidem ipsum felicibus auspiciis die 8 decembris anno insequenti dedicatum est: sed tamen usque ad hanc diem illud supererat, ut documentum Apostolicum ederetur, quo ipsum ex more institutoque huius Apostolicae Sedis canonicae suae erectionis vim et dignitatem acciperet.—Eius rei causa Venerabiles Fratres Americae Borealis Episcopi, qui superiore anno exeunte de gravibus religionis rebus acturi in hanc almam Urbem convenerunt, per Ven. Fratrem Archiepiscopum Baltimorensem Nobis fervidas

preces obtulere, ut quod nondum a Collegio regionis suae constituto peractum fuerat, auctoritate curaque Nostra fastigium imponentes operi, perficeremus. Nos itaque haud cunctandum rati, eorumdemque Venerabilium Fratrum communibus votis obsecundare, clerumque et fideles americanae regionis novo hoc amoris testimonio prosequi cupientes, decretum a memorato Sacro Concilio editum super constitutione Collegii Clericorum pro foederatis Americae Septentrionalis statibus, cum omnibus et singulis in illo contentis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, eique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac praeterea ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicae religionis, ad decus utilitatemque magnae Reipublicae foederatorum Americae Septentrionalis statuum, eadem auctoritate tenore praesentium idem Collegium in hac alma Urbe iuxta canonicas normas erigimus et constituimus, ac nomine et titulo Pontificio decoramus, eidemque omnia iura, praerogativas, privilegia huiusmodi Collegiorum propria attribuimus et elargimur, ad leges quae infra sequuntur.

I. Cardinalis Sacri Consilii Christiano nomini propagando Praefectus pro tempore existens, idem perpetuo Patronus Collegii esto: idemque ubi opportunum sibi visum fuerit, adiutorem sibi in eo munere gerendo deligendi et constituendi, iure fruatur.

II. Administratio universa Collegii ab Archiepiscopis et Episcopis Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, vel a Praesulibus ab ipsis ad id muneris legitime deputatis, geratur.

III. Archiepiscopi et Episcopi, quibus, ut supra, Collegii administratio concredita est, iidem cum moderator Alumnis Collegii regendis renunciandus fuerit, tres sacerdotes, qui ad hoc munus obeundum idonei visi fuerint Sacro Consilio Fidei propagandae, proponant, uti ex iis Summus Pontifex audito Sacrae Congregationis consilio eligat, quem Collegii regimini Rectoris nomine et potestate praeficiat.

IV. Rector in omnibus quae ad Collegii regimen pertinent Emi. Patroni ac Episcoporum Collegii Administratorum auctoritati obsequatur, eisque accuratam rei familiaris rationem sexto quolibet anni mense reddat.

V. Rector idem, ut munere suo expeditius et utilius perfungi queat, tum in iis quae oeconomicam Collegii curationem, tum in iis quae Alumnorum disciplinam spectant, opportunis adiutoribus utatur.—Propterea ipsius erit, Emo. Patrono approbante, idoneum sacerdotem vicarium suae potestatis adsciscere, nec non curatorem rei

familiaris Collegii Emo. Patrono et Episcopis Administratoribus proponere, ac de ipsorum consensu constituere, qui in munere exercendo a Rectoris auctoritate nutuque pendere debebit.

VI. Rector omnibus praesit, non alumnis modo sed et singulis majoribus ac minoribus Collegii administris.

VII. Nec inter alumnos admittatur quispiam, nisi aut ratione originis aut ratione domicilii vel quasi domicilii foederatorum Americae Statuum civis habeatur, ut constitutis conditionibus satisfaciat, ac ingenii morumque laude probatus firmam spem praebeat, sese in ecclesiasticis ministeriis esse perpetuo inserviturum.

VIII. In alumnis novis adsciscendis Collegii Rector cum Episcopis agat ad quorum Dioecesim ipsi pertinent; tum de singulis qui excipiendi erunt ad Emum. Patronum referat, alumnosque item antequam Collegium ingrediantur, aut in patriam redeant, coram Emo. Patrono sistat.

IX. Alumni antequam ad Sacros Ordines promoveantur, juramentum de more emittant, ut in Collegiis Pontificiis fieri solet.

X. Collegii Urbani fidei Propagandae scholas Americani Alumni studiorum causa celebrent, ibique ad gradus Academicos assequendos doctrinae experimenta edant.—Quo vero in studiis suis proficere valeant uberius, sacerdos rerum theologicarum et philosophicarum scientia praestans apud ipsos commoretur, qui iisdem in susceptis praelectionibus explanandis et illustrandis adiumento erit.

XI. Quod autem ad spiritualem Alumnorum curam attinet, Rectoris munus erit sacerdotem ad confessiones excipiendas ab Emo. Urbis Vicario approbatum, in pietatis magistrum et ordinarium Confessarium qui in Collegii aedibus degat, de Emi. Patroni assensu deligere; isque ita delectus Alumnorum animis ad virtutem et scientiam Sanctorum studiose ac prudenter provehendis operam navet.

XII. In Alumnorum disciplina regulae seu leges Collegii Urbani Fidei Propagandae opportune temperatae, ac peculiaribus Americani Collegii rationibus accommodatae, accurate serventur.

Volumus denique ut hae Literae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant; irritum autem et inane futurum decernimus si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae sub anulo Piscatoris anno millesimo octingentesimo octuagesimo quarto die XXV. Octobris. Pontificatus Nostri anno septimo.

F. CARD. CHISIUS.

Instructio S. Congregationis de Prop. Fide Super Visitatione SS. Liminum.

[*Ad p.* 11, *n.* 13.]

1. Inter praecipua officia, quae Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis iuxta SS. Patrum et canonum statuta incumbunt, illud profecto est accensendum, quod ipsi sacra Apostolorum Limina visitare, eaque occasione Romano Pontifici obsequium ac obedientiam praestare, et rationem reddere de pastoralis muneris implemento deque omnibus, quae ad Ecclesiarum suarum statum, et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque ipsis creditarum salutem pertinent. Quod quidem officium, unitatis et communionis cum Apostolica Sede quaedam veluti tessera, ex iis iuribus sponte fluit, quae Romano Pontifici vi primatus, quo ex divina institutione in universam pollet Ecclesiam, inhaerere compertum est. Nemo autem ignorat quae hoc in themate fel. rec. Sixtus V. in celebri Const. *Romanus Pontifex* die 20 Decembris 1585 edita praescripsit.

2. Cum vero nonnulla identidem suboriantur dubia circa modum, quo huic muneri sacrorum Antistites satisfacere debeant, atque inde graves anxietates ob sacramenti religionem, quo se illud impleturos spoponderunt, S. Consilium Christiano Nomini propagando propositum sollicitudinis suae partes esse duxit, Sixtinam Constitutionem opportune declarare, ut quo enucleatior erit legis dispositio, eo promptius ab omnibus executioni mandetur.

3. Et praeprimis recolere praestat quod in § 7 memoratae Constitutionis praescribitur: "Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum omnes patriarchae, primates, archiepiscopi, et episcopi, Itali videlicet vel ex Italicis insulis, unde commodius in Italiam traiici potest, veluti Siculi, Sardi, Cursi, et alii adiacentium provinciarum Italiae ac etiam Dalmatiae, et Graecarum, quae e regione ipsius Italiae et Siciliae oris sunt, *tertio anno;* Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Hungari, Angli, Scoti, Hiberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt circa mare Germanicum, et Balticum, ac omnium insularum maris mediterranei, *quarto anno;* et qui intra Europae fines sunt, his provinciis remotiores, ac etiam Africani litoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani Septentrionalis et Occidentalis Europae et Africae citra continentem novi orbis . . . *quinto anno;* Asiatici vero, et qui extra Asiam et in aliis novis terris

orientalibus, meridionalibus, occidentalibus, et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus, *decimo anno* iter suscipiant et, Deo concedente, perficiant."

4. Iam vero saepe quaesitum fuit, undenam in computando triennio, quadriennio etc. exordiri oporteat. Et quidem alii opinati sunt ea temporis intervalla Episcopos computare debere a die, quo ad Sedem episcopalem in Consistorio renunciati sunt, aut quo literae Apostolicae ipsis expeditae fuerunt; alii a die consecrationis, alii denique a die acceptae Sedis possessionis. Quidam etiam existimarunt initium temporis ad ss. Liminum Visitationem peragendam sumendum esse a die, quo dioecesis erecta fuit. Hinc ad aures S. Congregationis pervenit variam hac super re variis in regionibus praxim invalescere coepisse.

5. Ad omnes hujusmodi opiniones e medio tollendas sat est, ea quae Sixtus V. constituit, sedulo inspicere; aperte enim in § 8 Constitutionis praefatae enunciatur, a die publicationis eiusdem Constitutionis Episcopos ad ss. Apostolorum cineres visitandos omnino teneri. Quemadmodum igitur scribit Fagnanus,[1] praedicta annorum spatia omnibus incipiunt currere a die, quo bulla Sixti V. edita fuit, hoc est a die 20 Decembris 1585. Nec difficultatem facessunt, quae in § 7 leguntur; nam, ut idem Auctor observat "verba bullae—*Haec autem annorum spatia*—non ita sunt accipienda, ut initium computationis triennii vel quadriennii etc. sumi debeat a die consecrationis, susceptionis vel translationis huiusmodi, sed hunc habent sensum, ut eo ipso quo quis est consecratus, incipiat sibi currere obligatio visitandi Limina, non autem ut spatia supradicta ab eo tempore computari debeant. Et hanc interpretationem semper habuerunt ea verba in S. C. Concilii. Haec autem computatio fieri debet ab ipsa die publicationis Bullae exclusive, et sic in fine cuiusque triennii etc. vel decennii integra dies vigesima Decembris cedit commodo Episcoporum, adeo ut tempus ad visitandum praefixum duret usque ad ultimum momentum eius diei. Ita enim statuitur pro regula, ut dies termini non computetur in termino." Revera praelaudata S. Congregatio Concilii, ut omne dubium amoveret, per encyclicas literas ad universi Orbis Catholici Praesules die 16 Novembris an. 1673 datas significavit, unum eumdemque perpetuo et ab omnibus observandum esse terminum pro Sacra Visitatione, qui amussim est dies editae in lucem Sixtinae Constitutionis.[2]

[1] In II. lib. Decret. in Cap. *Ego N. Episcopus*, IV. de iureiur. n. 36.
[2] V. caus. Carpectoraten. diei 19 Febr. 1718 in princ.

6. Idipsum S. haec Congregatio de Prop. Fide an. 1802 Episcopis Hiberniae enunciavit; et an. 1865 cuidam ex Archiepiscopis Americae Foederatae scribebat "triennia etc. decennia ita esse computanda, ut initio sumpto a die, quo praedicta Constitutio edita fuit, nimirum a die 20 Decembris 1585, perpetuo et sine alia interruptione pro omnibus successoribus Episcopis decurrant."

7. At nuper controversia mota est, *an etiam pro sedibus recenter erectis tempus Visitationis sacrae computandum sit a die publicationis Const. Sixtinae.* Nec defuit inter recentiores canonum doctores qui arbitraretur triennia, quatriennia etc. quod ad dioeceses attinet post Sixtum V. erectas, computanda esse a die, quo primus noviter erectae dioecesis Episcopus administrationem suscepit.

8. Sed nulla suppetit ratio, cur Episcopi novarum dioecesium aliam a ceteris dimetiendi temporum spatia pro Visitatione ss. Liminum rationem sectentur; ipsi enim quoque Sixtinae Constitutioni, sicut in aliis dispositionibus quas continet, ita et in hac adhaerere debent. Quocirca propositae mox quaestioni Emi. PP. huius s. Consilii in generalibus Comitiis diei 3 Maii 1875 post maturam deliberationem decreverunt, respondendum esse *Affirmative*, nimirum etiam ab Episcopis, qui sedibus recenter institutis praesunt, praefatam regulam esse retinendam.

9. Quae cum ita sint, cum quispiam ad episcopalem Sedem, sive ex veteribus sive ex novis, evehitur, diem quo lex Sixti V. prodiit, prae oculis habeat; et si, praefiniti temporis inde incipiens computationem, noverit eius praedecessorem vertente triennio, quatriennio etc. oneri ss. Liminum Visitationis haud fecisse satis, sciat ipse se ad eam absolvendam adstringi. Iuverit iterum audire Fagnanum, qui scribit[1] "ex praescripto hujus Constitutionis Sixti V. § *Ad hoc autem* versu *Quae ne longius differantur* etc. tempus qualecumque excursum alicui ex Episcopis, qui sive morte praeventus, sive alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei praescriptum Limina non visitaverit, ita intelligi effluxisse et excurrisse illius successori, ut, termino ipso, iuxta praedecessoris sui iusiurandum completo, debitam visitationem conficere teneatur. Quae verba non eum habent sensum, ut Episcopus successor teneatur visitare pro omnibus trienniis etc., pro quibus eius praedecessor non visitavit . . . , sed illa verba ita sunt accipienda, ut Episcopus nuper consecratus, si eo triennio etc., quod eo tempore currit, eius praedecessor non visitaverit,

[1] Loc. cit. n. 46.

teneatur ipse visitationem perficere." Si proinde incoepto iam triennio etc. Episcopus ss. Limina adiverit, relationemque suae dioeceseos exhibuerit, ac postea e vivis migraverit, neutrum repetere successor tenetur; persolutio enim praedecessoris successori suffragatur.[1]

10. E contra si quis dioeceseos curam assumpserit paulo ante quam triennium etc. sub antecessore incoeptum ad exitum perveniret, cum temporis defectu nondum in promptu possit habere quae ad statum propriae Ecclesiae referendum requiruntur, succurrit remedium implorandae prorogationis, quae, hisce praesertim in adiunctis, a S. Sede facile impertitur.

11. Notum est ipsam Sixtinam legem Episcopis consulere, qui, legitimo impedimento detenti, ad Apostolorum sepulchra personaliter se conferre non possunt; id enim per procuratorem ipsis praestare permittitur. Immo quoad procuratoris deputationem facilius ac remissius agi coepit, ut inde a sua aetate animadvertebat s. m. Bened. XIV,[2] et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est. "Unde si Episcopus iusto quolibet impedimento detentus a S. C. licentiam petat visitandi Limina per procuratorem, atque etiam in eum finem deputandi canonicum aliquem, aut sacerdotem dioecesis suae iam in Urbe existentem, et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum negotiorum gestorum aut agentem, de rebus Ecclesiae et dioecesis probe instructum, dummodo ecclesiastico caractere insignitus sit, facta Romano Pontifici per Secretarium ipsius Congregationis instantiae illius relatione, non ita frequenter reiici solet, ut olim evenisse constat, sed petita licentia et facultas passim benigne conceditur." Pariter ad procuratoris munus olim haud admittebatur sacerdos regularis, nisi probata deficientia Capituli et cleri saecularis, exceptis fortasse Ecclesiis remotissimarum regionum;[3] sed in hoc etiam sequioribus temporibus S. Sedes sese faciliorem praebere consuevit.

12. Quae communiora ac potissima sint impedimenta, quibus Episcopi a Romano itinere suscipiendo excusantur, videre est penes rerum canonicarum tractatores *ad Cap. IV.* Ego N. *de iureiur.* Ea vero sic perstringit Catalanus:[4] "Est quidem munus et reipublicae officium episcopatibus adiunctum . . . , item aetas gravis, hostilitas quoque ac timor hostium, incursus latronum, pestis et alia id

[1] Fagn. loc. cit. n. 47.
[2] *De Syn. Dioec. L. XIII. Cap. VI. n.* 3.
[3] *Ibid.*
[4] *Comment. Pont. Rom. Tom. I. ad* § *IX.*

genus, quorum tamen quaedam impedimenta Antistites profecto excusant a visitatione personali tantum, non vero ab illa, quae per certum nuntium fieri solet, veluti aegritudo, decrepitas, munus episcopatui adiunctum, et similia quae personam respiciunt ipsius Episcopi. Sunt autem quaedam alia, quae etiam a mittendo Romam certum nuntium Episcopos excusant, ut ex. gr. pestis, viarum obsessio, hostilitas, modo tales sint, quae impediant accessum dioecesanorum ad Urbem." Ceterum tot esse possunt huiusmodi impedimenta, quot peculiares cuiusque personae circumstantiae, quibus fiat, ut sine magna difficultate aut gravi incommodo urbs Romae adiri non possit.

13. Sed facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediant, nostra hac aetate nonnisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facilitate longissima quaeque itinera terra marique perfici valeant. Et, si ad debitum Visitationis officium *commode*, ut ipse ait, explendum Sixtus V. praedicta temporum intervalla praescripsit, *variam*, ut verbis utamur Benedicti XIV.,[1] *locorum atque dioecesium ab Urbe distantiam summa aequitatis ratione perpendens;* quid in praesens tam facile, quam intra ea intervalla ad Urbem accedere? S. igitur Congregatio sibi persuadet, ss. Antistites huic muneri, cui sese interposito sacramento obstrinxerunt, nedum statis a Sixto V. temporibus nunquam esse defuturos, sed immo spem fovet in Domino, ut, magistrorum veritatis Petri et Pauli sepulchra fidelium animas illuminantia coram veneraturi, suam huc praesentiam saepius etiam exhibeant. Quod certe ipsi libenter praestabunt, modo attenta consideratione revolvant illud Sardicensis Concilii[2] "optimum et valde congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibuscumque provinciis domini referant Sacerdotes." Ita enim fit, ut Romanus Pontifex, cui omnium ecclesiarum sollicitudo concredita est, Praesulum Romam adventantium opera et adiutorio, ubique locorum Christiani gregis necessitates agnoscere, spiritualium ovium morbos intelligere, et aptiora remedia adhibere valeat, nec quidquam ipsum lateat earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Religionem propagandam, ad animarum bonum promovendum necessario eum scire oportet. Plura sane negotia per epistolam possunt expediri; nemo tamen inficias iverit, plura esse alia, quae melius

[1] Loc. cit. n. 2.
[2] Epist. Syn. ad Iul. I. Rom. Pont., apud *Labbaeum, Tom. ii. col.* 690 *edit. Venet.*

nequeant pertractari, quam si os ad os alloquamur. Accedit etiam, quaedam aliquando occurrere, quae secreti fidem ita postulant, ut ea scripto mandare periculosum sit; hinc. fel. rec. Bened. XIII. in Rom. Synodo an. 1725,[1] Episcopos monet, "ne ita passim personali ab hac Visitatione se dispensent, monita hic multa et sane proficua eorumdem SS. Ecclesiae Principum patrocinio e Summi Pontificis vivae vocis oraculo percepturi, quae scriptis aliquando nequeunt consignari."

14. Ne itaque pigeat ss. Antistites ad Urbem, quam Apostolorum Principes suo sanguine consecrarunt, ex dissitis etiam regionibus properare, eum etiam in finem, ut arctioribus usque vinculis cum Supremo Ecclesiae Capite et duce coniuncti, eo fortius praeliari praelia Domini pergant, quo maiore in dies impetu ac velut agmine facto Christianae Reipublicae hostes eam oppetere adnituntur.

15. Hanc autem S. Congregationis instructionem SS. D. N. PIO PP. IX. per me infrascriptum Secretarium in audientia diei 13 elapsi mensis relatam Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, eique Apostolicae suae auctoritatis robur adiecit.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congr. die 1 Iunii 1877.

FORMULA JURAMENTI EMITTENDI AB EPISCOPIS AD SEDES AMERICAE FOEDERATAE PROMOVENDIS.[2]

[*Ad p.* 14 *n.* 13.]

Ego N. electus Ecclesiae N. ab hac hora in antea obediens ero beato Petro Apostolo, sanctaeque Romanae Ecclesiae, et Beatissimo Patri N. Papae N., suisque successoribus canonice intrantibus. Papatum Romanum adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine. Jura, honores, privilegia et auctoritatem sanctae Romanae Ecclesiae, Papae et successorum praedictorum conservare, defendere, promovere curabo. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis decenniis personaliter per me ipsum visitabo; et Beatissimo Patri Nostro N. ac successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio ac de rebus omnibus ad meae

[1] Tit. XIII. Cap. I.

[2] Vide Conc. Prov. Balt. VI.

Ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique quae meae fidei traditae sunt salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, dioecesanum sacerdotem, vel per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum.

Possessiones vero ad meam mensam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.

Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE DE CONCURSIBUS AD PAROECIAS.

[*Ad p.* 25, *c.* VI.]

Tridentinum Concilium decrevit (Sess. XXIV., c. 18 de Ref.) debere Episcopum statim, habita notitia vacationis parochialis ecclesiae (si opus fuerit) "idoneum in ea vicarium cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur."

Pertinet deinde ad Episcopum indicere per publica edicta concursum. Terminus in edictis constituendus ex eodem Concilio Tridentino est dierum decem, sed concedit S. Pii V. constitutio *In conferendis*, § 5, ut hic terminus ad alios decem dies prorogari queat et non ultra.

Exacto termino in edictis praestituto, fit concursus.

Cum vero neque in Conciliari decreto neque in Piana Constitutione, examinis in concursu peragendi forma seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proposita fuisset, idcirco ad vitanda incommoda quae ex eo oriebantur, S. Congregatio Concilii in litteris iussu s. m. Clementis XI die 10 Iulii 1721 editis, certam methodum habendi ad parochiales Ecclesias concursum in posterum servandam praestituit. Posteriori tempore s. m. Benedictus XIV. in constitutione quae

incipit *Cum illud*, 14 Decembris 1742, praefatas litteras (quae per integrum ibidem referuntur) confirmans, nonnulla praeterea addenda vel immutanda, nonnulla breviter in iisdem tradita clarius explicanda censuit.

Iuxta praescriptum Concilii Tridentini ac Benedictinae Constitutionis, examen per concursum tam super doctrina, quam super ceteris concurrentium requisitis qualitatibus, habendum est cum vacatio Ecclesiae paroecialis contigerit. Viget nihilominus in aliquibus dioecesibus consuetudo examen de doctrina separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis, et hoc ad ipsum pro vacante paroecia concursum remisso examen de scientia alio magis opportuno tempore instituendi.

Quamobrem generatim bis in anno examen habetur de scientia, in quo qui approbati fuerint, ad quodcumque parochiale beneficium intra sex proximos sequentes annos vacaturam concurrendi ius habent, sed exeunte sexennio, examini se denuo sistere tenentur si beneficium parochiale obtinere velint. A lege autem subeundi hoc novum exacto sexennio examen ab Episcopo, audita examinatorum sententia, dispensari possunt qui inter synodales vel pro-synodales examinatores sunt assumpti, aut qui propter muneris vel beneficii quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam qua Ecclesiae cum laude servierunt, scientiae testimonium abunde praestant. Ceterum paroecia aliqua vacante, concursus habetur, examinatoribus, adhibita ea quae in usu est cautione, iudicantibus quinam ex competitoribus ad regendam paroeciam vacantem apti sint, salvo semper Episcopo iure eligendi inter approbatos, quem ipse digniorem aptioremque iudicaverit. Haec porro praxis ab Apostolica Sede approbari solet ad tempus.

Datum in Aedibus S. C. de Prop. Fide, 10 Octobris 1884.

Instructio S. Congregationis de Prop. Fide de Titulo Ordinationis.

[*Ad p.* 31, *n.* 61.]

1. Cum indecorum omnino sit, atque a Clericorum, qui in sacris Ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis aut ex sordido quaestu ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur; nemo ignorat, ab anti-

quissimis inde temporibus cautum fuisse, ut quicumque in Ecclesia Dei ad sacros Ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque substentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset substentare.[1] Posterioribus vero temporibus titulus Ordinationis invectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cuius necessitas primitus pro ordinatione Diaconorum et Presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III. ad Subdiaconos quoque extensa fuit.[2] Explorata autem omnibus sunt quae Synodus Tridentina[3] hac super re constituit; cuius saluberrimas praescriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI. literis encyclicis ad omnes Episcopos per S. Congregationem Concilii die 13 Maii 1679 datis gravissime observari mandavit.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet, ac *patrimonialis*. Hic postremus, cui occasionem dedisse videtur Alexander III.[4] quique circa finem seculi XIII. usuvenire coepit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam eius substentationem sufficere Episcopi iudicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum Episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse iudicaverit.[5]

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur, ac *paupertatis*, quibus aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adjiciendae sunt, tituli nempe *mensae communis*, atque *servitii Ecclesiae*, *Missionis*, *sufficientiae*, et *Collegii*. Est autem titulus beneficii ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae Ordinationis dici debet.[6]

4. *Paupertatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cuius qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex rediti-

[1] *Conc. Chalcedonen, can. VI.*
[2] *Conc. Lateranen. III. can. V.*
[3] *Sess. XXI. De ref. cap. II.*
[4] *In Cap. IV. de Praeben.* — *Thomassinus* De vet. et nov. Eccl. discipl. *part.* 2. *l.* 1. *cap.* 9. *n.* 2.
[5] *Conc. Trid. loc. cit.* et *Bened. XIV.* Inst. Eccl. 26. *n.* 1. *et* 3.
[6] *Fagnan.* in Cap. 4. *de Praebend. n.* 24.

bus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulus, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex*[1] s. Pii V. deducitur. Verum ex hisce Clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii Ecclesiae* qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui cum Beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui Ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis a piis Christifidelibus elargiendis substentari possint, et ab eadem Ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo ut suis clericis sacros ordines conferret s. m. Sixtum V. Patriarchae Venetiarum indulsisse constat.[2]

6. Denique titulus *Missionis*, de quo potissimum heic sermo est, praetermissis titulis *sufficientiae et collegii*, (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis, qui maioribus ordinibus initiari cupiunt, ut Apostolicarum missionum servitio sese devoveant. Id autem saepe contingit in locis missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae ius circa ea, quae ad praerequisitum pro sacra Ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeant. Qui vero huiusmodi titulo ordinati sunt, ii ex Apostolico ministerio in missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

7. Sed exploratum est, Ordinarios clericis titulo Missionis non posse ss. Ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter ius commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum Superioribus Missionum aut Collegiorum seu Congregationum quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum

[1] *Prid. Id. Octob.* 1568.

[2] Campanil. *Diversor. iur. canonic. rubr.* 8 *Cap.* 4 *n.* 14. et Gartias *De Benefic. part.* 2, *cap.* 16. *n.* 96.

concedi solet. Meminerint autem superiores eo parce utendum sibi esse; neque enim titulo Missionis omnes absque delectu sacris erunt Ordinibus initiandi clerici, qui ad missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim iuxta s. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimum valet, cum sermo est de iis qui in arduum Apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo eorumdem superiorum conscientia districte oneratur.

8. Non secus ac alumni collegiorum Pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant missioni cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes ut missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic Instructioni subnectitur Forma istius Iuramenti iampridem approbata usuque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino praecipit S. Congregatio.

9. Necesse non est, ut qui ad ss. Ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in missione versetur, sed sufficit, ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo superiores eum mittendum censuerint ac ire iubeant.

10. Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; eius namque iudicio reservatum est, praevia Ordinarii, cui intererit, relatione iudicare, utrum missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum superiorum licentia transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, iuxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cuius est sic ordinatos praestiti iuramenti vinculo exsolvere. Quod si amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, Sacerdos haud prop-

terea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra haec Congregatio in generalibus Comitiis diei 1 Septembris 1856 declaravit.

12. Pariter sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis vero missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae sustentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certae alicuius Missionis ad ecclesiasticos Ordines adscenderunt, ubi Missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius missionis servitio deputentur, ut huius Missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit eius missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi.

14. Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros Ordines admissi fuerunt, servatis de iure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios, ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra Ordinatione introducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio animadvertens incremento missionum plurimum posse conducere, si qui in collegiis sive seminariis utriusque cleri, evangelii praecones mox futuri educati sunt, vel qui titulo Missionis ad Ordines fuere promoti, animo identidem recolant iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos hortatur, ut in annos singulos anniversaria die praestiti iuramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat iudicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI. in audientia diei 7 Maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram

temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum iuramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato iam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae sacramento expiare non omittant, atque Eucharisticam communionem suscipiant, vel Missae celebrent sacrificium.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congr. die 27 Aprilis 1871.

Formula Iuramenti ab iis Praestandi, Qui Titulo Missionis Ordinantur.

Ego N. Filius N. Dioecesis vel Vicariatus N. spondeo, et iuro, quod postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac Dioecesi, aut Vicariatu, vel[1] in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, et eius obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Dubia Proposita S. Congregationi de Prop. Fide circa Ordinatos Titulo Missionis.

[*Ad. p.* 34, *n.* 66.]

1. Se ed in qual modo convenga dichiarare, che i Sacerdoti ordinati a titolo di Missione rendendosi indegni di esercitare il sacro ministero, rimangono privati dello stesso titolo, e che l'Ordinario non è tenuto a provvedere al loro sostentamento.

2. Se in vista del difetto di altri titoli nei luoghi di missione abbia a derogarsi all'articolo dell'Istruzione, nel quale si prescrive

[1] Iuxta hunc alterum modum iurare debent, qui nondum alicui missioni addicti fuerint.

che gli Ordinarii debbano costringere quei Sacerdoti che rimanessero privi del titolo di Missione, a sostituire a questo altro titolo.

3. Se approvare il progetto del Consultore di dichiarare che i Prelati prima di conferire il titolo di missione ai Sacerdoti regolari usciti legittimamente dal proprio Ordine, possano sperimentarli per qualche tempo ammettendoli ad esercitare il sacro ministero nelle loro diocesi.

4. Se dichiarare più esplicitamente, che un Sacerdote passando da una diocesi per la quale prestò il giuramento ad altra, debba prestare in questa un nuovo giuramento, e che non possa ciò fare senza licenza della S. Congregazione.

5. Se sia necessaria la licenza della S. Congregazione, perchè un Sacerdote ordinato a titolo di missione senza che abbia prestato il giuramento, possa da quella per la quale venne ordinato passare ad altra diocesi.[1]

Emi. et Rmi. Dni. S. R. E. Card. S. C. de Propaganda Fide praepositi, in comitiis generalibus habitis die 4 *Februarii* 1873 *respondendum censuerunt:*

Ad 1. In casu, prout exponitur, praevia declaratione eiusmodi Sacerdoti ab Episcopo facienda, et quamdiu praedictus Sacerdos in sua prava vivendi consuetudine perseveret, nullum exhibens sincerae resipiscentiae signum, Episcopum non teneri ad sustentationem illi praebendam. Seiunctim *autem* a resolutione dubiorum *per epistolam* significetur *Ordinario* (eidem Episcopo), ut ad dictam declarationem non deveniat, nisi postquam paternis ac repetitis monitis eiusmodi Sacerdotem ad resipiscendum frustra invitaverit, atque de eius crimi-

[1] 1. Utrum et quomodo declarandum sit, sacerdotes titulo missionis ordinatos, qui se indignos reddiderunt sacri ministerii exercendi, hoc titulo privari; neque Ordinarium teneri ad sustentationem illis praebendam.

2. Utrum deficientibus aliis titulis in locis missionum derogandum sit articulo (11.) Instructionis quo praescribitur Ordinariis ut sacerdotes titulo missionis privatos compellant ad alium ei titulum substituendum.

3. Utrum adprobanda sit Consultoris propositio, declarandi scilicet, posse Praesules antequam sacerdotibus regularibus ex Ordine proprio legitime egressis titulum missionis conferant, eosdem per aliquod tempus, experimenti gratia, ad sacrum ministerium in sua dioecesi exercendum admittere.

4. Utrum explicatius declarandum sit, sacerdotem a dioecesi cui juramento ligatur ad aliam transeuntem debere in hac altera novum juramentum emittere; neque hoc facere posse absque venia S. Congregationis.

5. Utrum necessario requiratur venia S. Congregationis ut ordinatus titulo missionis quin praestiterit juramentum, possit a dioecesi pro qua ordinatus fuit, ad aliam transire.

nibus et publica diffamatione probationes certas etiam extraiudicialiter conquisitas sibi comparaverit, quas in casu recursus exhibere valeat Sacrae Congregationi.

Ad 2. In casu proposito praedictam Instructionis dispositionem non habere locum.

Ad 3. Sacra Congregatio indulget, ut Episcopus, antequam conferat titulum Missionis Regularibus a suo Ordine egressis, possit eos mittere ad tempus congruum ad aliquam Missionem regendam experimenti et probationis causa, exceptis apostatis et iis, qui utpote incorrigibiles eiecti fuerunt, quos perpetuae suspensioni obnoxios esse voluit s. m. Urbanus VIII. decreto edito per S. Congregationem Concilii die 21 Septembris 1624.

Ad 4. Affirmative ad utrumque.

Ad 5. Affirmative.

Responsum Emi. S. C. de P. F. Card. Praefecti circa Literas Commendatitias

[*Ad p.* 35, *n.* 67.]

Illme. ac Rme. Dne.

Prudenti saluberrimoque consilio ab antiquis temporibus constitutum fuit ut clerici, praesertim vero sacerdotes vagi et ignoti, temere ab Episcopis non reciperentur; bene vero vitae et conversationis nec non ministerii alibi peracti probatio perspicua ab iis exigeretur. Nam quia tales clerici nulla testimonii fide commendati solent esse suspecti; ac saepe criminosi, vel alias irregulares, fugitivi, vel in exilium missi dignoscuntur, oportet ad malitias hominum praecavendas fraudesque vitandas diligenter circa ipsos inquirere, antequam illis sacrificii celebratio ac sacramentorum ministratio permittatur. Hinc sapientissime a Concilio Tridentino, sess. XXIII., c. 16. de Ref., decretum est ut "nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda ac sacramenta ministranda admittatur." Quam PP. Tridentinorum constitutionem ad hanc usque diem diligenter observari per totum orbem Apostolica Sedes constanter curavit. Quare etiam in recentioribus Conciliis praesertim Baltimorensibus providae cautiones eadem super re determinatae fuerunt.

Graviter itaque tulit Sacra Congregatio de Propaganda Fide quod non semel ad eius aures pervenit, quandoque in Ecclesiis Missionum

contingere ut facile in dioeceses recipiantur presbyteri et clerici quin litteras commendatitias praedictas afferant, immo et sine iisdem ab una ecclesia discedant et in aliam transmeare audeant. Quo factum est ut nonnulli sacerdotes potius scandalo quam exemplo fidelibus quandoque fuerint, ac non in aedificationem bene vero in destructionem.

Quapropter ne similibus damnis via in posterum pateat, omnino mandat S. Congregatio omnibus Episcopis in locis missionum degentibus nec non Vicariis ac Praefectis Apostolicis ut omni tergiversatione seposita, litteras commendatitias suorum Episcoporum a clericis et sacerdotibus peregrinis exigant; qui vero iis careant nullimode recipiantur.

Hoc significandum A. T. erat; ego vero precor Deum ut te diutissime sospitem servet.

Romae ex aedibus S. C., die 20 Aprilis 1873.

Addictissimus in Christo Frater,

AL. CARD. BARNABO.

LEONIS PAPAE XIII. CONSTITUTIO QUA NONNULLA CONTROVERSIARUM CAPITA INTER EPISCOPOS ET MISSIONARIOS REGULARES ANGLIAE ET SCOTIAE DEFINIUNTUR.

[*Ad p.* 47, c. IX.]

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX. in Litteris *Universalis Ecclesiae* III. kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL. datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni coelestis iam vocata, ac mystico Eius corpore sociata, pleniorem

veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe*, inquit S. Irenaeus,[1] *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt;* atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet,[2] *ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic, sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati; clerus admodum auctus; auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt; constituta pia laicorum sodalitia; novae missiones novaeque ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta.*[3] At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia, tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas Angliae

[1] *Adv. haer.* lib. IV, cap. 26, n. 2.
[2] Epist. 29 *ad lapsos.*
[3] Lib. *adv. iudaeos.* cap. 5.

Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis indicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quarum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum Christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur[1]; tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis*[2] consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos adtribuere, Clerum

[1] Concil. Trid. sess. 23, *de sacram. ord.* can. 7.

[2] S. Gregor. M. Epist. III lib. IX.—Bened. XIV Epist. Decret. *Apostolicae servitutis*, prid. Idus Mart. 1742.

Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret,[1] in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV. in Constit. *Apostolicum ministerium*, III kalen. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi[2] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in "publici regiminis legibus . . . quibus coenobia quaecumque prohibentur"; hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium Christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII. *Quoniam*, IX kal. Iulii MDCIII, Gregorii XV. *Cum alias*, XVI kalen. Septemb. MDCXXII, Urbani VIII. *Romanus*

[1] Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.

[2] Innocent. X Constit. *Instaurandae*, die 15 Octob. 1652. Constit. *Ut in parvis*, die 10 Februar. 1654.

Pontifex V kalen. Septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones Innocentii X. non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas.[1] Ac merito quidem, nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII., utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI Idus Novembris MDCI, decreverat eos "reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra" quamobrem "in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse: in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis superioribus subiectos remanere." Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV. in suis Constitutionibus *Quamvis* V kalen. Martii MDCCXLVI; *Cum nuper* VI Idus Novembris MDCCLI, et *Cum alias* V Idus Iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimum exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV. significavit inquiens, "regulares Anglicanae missioni destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae religionis." Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII., cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari "ad praedicandum sanctum Dei evangelium et viam veritatis et salutis demonstrandam." Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, "quibus viri religiosi suis in domibus vel extra legitime gaudent" quamvis "extra monasteria ut plurimum degant."

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione,

[1] S. Congr. de Prop. Fide 30 Ianuarii 1627; 27 Martii 1631; 5 Octobris 1655; 23 Septembris 1805; 29 Martii 1834.

non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis: "Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum tanquam primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem Ecclesiae . . . ceteros omnes curam quam habent animarum cum dependentia a primo exercere."[1] Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV. Constit. *Firmandis* § 6. VIII Idus Novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit.[2] Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum "Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum." Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum.[3] At Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII. iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare "dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur." Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibus-

[1] Decr. XIII. n. 2.

[2] *Forosempronien.* 5 Septemb. 1650 Lib. 19 Decr.

[3] *Forosempronien.* 12 Maii 1681 Lib. 53 Decr. fol. 278 *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12 Martii 1718.

dam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est:[1] "Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse." Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV.[2] Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII. III kalen. Aprilis MDCXCI. quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum quas Innocentius X. Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori questionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur,[3] ceterisque in rebus "in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta."[4] Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; "siquidem, Gelasio I.[5] et Nicolao I.[6] auctoribus, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus." Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si

[1] Sess. 24 cap. 2. *de reform.*
[2] *De Synod. dioec.* lib. 3 cap. 1 § 11.
[3] Concil. Trid. sess. 25 cap. 11 *de regular*
[4] Innoc. IV. cap. I *de privileg.* in 6.
[5] Epist. 7 *ad Episc. Dardan.* ann. 495. Tom. 2 collect. Harduini.
[6] Epist. 8 *ad Michael Imperat.* Tom. 5 collect. Harduini.

apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo.* Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo.*[1] At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt; quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III.[2] et a Concilio Tridentino.[3] Alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt; idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta; eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat

[1] Bened. XIV. *de Synod. Dioec.* Lib. 13 cap. 5 § 2.

[2] Cap. *ad audientiam* de Eccles. aedific.

[3] Sess. 21 cap. 4 *de reform.*

paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: "Non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli, intra limites missionis cui praeponitur, novas ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat." Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini,[1] quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis.[2] Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum; quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur; utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere; nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, per quam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim iure quod modo viget arceantur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV. in Constit. *Cum nuper*, VI Idus Novembris MDCCLI, "Quemadmodum," inquit, "negari nequit, ex veteri canonum lege monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochiarum curam adsumere sine dispensatione Apostolica." Hinc sacrum Concilium Tridentinis decretis interpretandis[3] ad dubium "an annuendum sit precibus

[1] Cap. 4 sess. 21 *de reform.*
[2] *De regimine congregationum seu missionum* n. 5.
[3] In Ianuen. *dismembrationis* XXV Ianuarii MDCCCLXXIX.

Patrum Augustinianorum de nova paroecia iisdem concedenda" rescripsit—negative et amplius—. Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinet. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV. in Constit. *Firmandis* VIII Idus Novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae, puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis

humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX. significavit scribens: "In hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate formandi, atque in iisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, adventitiae appareant."[1] Nemo exhinc non intelliget istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent,[2] puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa.[3] Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent,[4] definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret,[5] iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis;[6] demum scholarum curatores constituti qui eas adirent ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent.[7] Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit

[1] Epist. ad. Archiep. Friburg. *Cum non sine maxima* XIV Iulii MDCCCLXIV *Acta* vol. 3.

[2] Synod. I Provincial. Camerac. tit. *de scholis* cap. 1.—Synod. provinc. Mechlin. tit. *de scholis* cap. 2.

[3] Synod. Namurcen. an. 1604 tit. 2 cap. 1.

[4] Synod. Antverpien. sub Mireo tit. 9 cap. 3.

[5] Synod. Cameracen. an. 1550.

[6] Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. 1. cap. 3.

[7] Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. 20. cap. 4.—Synod. Provin. Pragen. an. 1860, tit. 2. cap. 7.

igitur in singulis paroeciis puerilès scholas constitui,[1] quibus nomen est *parochialibus* impositum;[2] iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere;[3] iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime;[4] quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur,[5] dignique habentur in quos Episcopus animadvertat.[6] In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ad Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV, a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Prov. Westmonasteriensis IV.[7]

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur; an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam instituerit absque Sedis Apostolicae licentia speciali.[8]

[1] Synod. Valens. an. 529. can. 1.—Synod. Nannet. relat. in cap. 3. *de vit. et hon. clericor.*—Synod. Burdigal. an. 1583. tit. 27.

[2] Synod. I Provin. Mechlin. tit. *de Scholis* cap. 2.—Synod. Provin. Colocen. an. 1863, tit. 6.—Synod. Provin. apud Maynooth anno 1875.

[3] Synod. Nannet. sup. cit.—Synod. Antverp. sup. cit.—Synod. Prov. Burdig. an 1850. tit. 3. cap. 2.

[4] Synod. Prov. Vienn. ann. 1858, tit. 6. cap. 8.—Synod. Prov. Ultraiect. an. 1865. tit. 3. cap. 2.

[5] Synod. Prov. Colocen. an. 1863. tit. 6. cap. 5.—Synod. Prov. Colonien. an. 1860, tit. 2. cap. 23.—Synod. Prov. Ultraiect. an. 1863, tit. 9. cap. 5.

[6] Synod. I Prov. Cameracen. tit. *de Scholis*, cap. 2.

[7] Ad Decret. XIV.

[8] Cap. Religios., § *Confirmatas de relig. domib.* et cap. *Ex eo* de excess. praelat. in 6.

Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit "sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta:"[1] quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII.[2] pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. Huc etiam spectavit Innocentius X. in Constitut. *Instaurandae* Idibus Octobris MDCLII, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus "domos vel loca quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali." Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri.[3] Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam.[4] His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset

[1] Concil. Trident. sess. 25 cap. 3 *de Regular.*

[2] Constit. *Romanus Pontifex* XIII kalen. Septembris 1624.

[3] Bened. XIV, *de Synod. dioeces.* lib. 9, cap. 1, num. 9.—Monacelli *formul. legal.* part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

[4] Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 Mart. 1669; 3 Nov. 1688, 1704, 1768; 23 Aug. 1858; 30 Maii 1864; 17 Iulii 1865.

si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII. qui eos vetuit "ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare."[1] Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam "Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum huiusmodi?" Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII. per Constitutionem *Romanus Pontifex*, nisi "servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma." Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII. et Urbano VIII. fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX Aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: "1° Missio-

[1] Cap. *Cum ex eo* de excess, praelat. in 6.

narii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. 2° Eorum tamen bonorum, quae missioni, vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque ac a Parochis cleri saecularis, rationem exigendi." Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die X Maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris.[1] Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cuius res gesta fuit,[2] ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela.[3] At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II. in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt[4] circa Ecclesias parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio,[5] certum exploratumque est in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

[1] Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis*, n. 29—Card. de Luca *in Conc. Trid.* discurs. 13, n. 5—Reiffenst. Lib. 3 *Decret.* tit. 30, n. 193.

[2] L. 1 § *officio* ff. *de tutelae et rat. distr.*—L. 2 § *et sane* ff. *de negot. gest.* L. *Curator.* L. *Tutor.* Cod. *de negot. gest.*

[3] Sac. Congr. Concilii *Nullius*, seu *Nonantulan. iurium parochialium* 27 Iunii 1744 ad dub. XII.

[4] Lucius II. *ad Priorem S. Pancratii in Anglia*, Alexander III. *ad Monaster. S. Arnulphi*, Lucius III. *ad Superior. Praemonstrat, et ad Abbatissam. S. Hilarii in dioecesi Fesulana.*

[5] Gonzal. Comment. in cap. I *de Cappel. Monach.*

Quocirca ea confirmantes quae a S. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX Aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem diei X Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi.[1] At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi "hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus applicante."[2] Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt,[3] haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima

[1] Argum. ex cap. *Pastoral.* 9 *de his quae fiunt a Praelat.*, cap. *Transmissa, de Verb. sign.* ac praesertim cap. I. *de Statu Monach.*

[2] Reiffenst. *L.* 3 *Decretal.* tit. 30 n. 193, Van Espen *ius eccles. univ.* part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

[3] Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13 caus. 10 quaest. 1.

potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii Provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accomodare oportere.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi . . . consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant.*[1] Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes.[2]

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque in praemissis interesse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis exi-

[1] Apud Bedam *Histor. Angl.* II. 29.
[2] Philip. II., 2.

stant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemoralibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi

publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Dominicae Incarnationis millesimo octingentesimo octuagesimo primo, Octava Idus Maii. Pontificatus Nostri Anno IV.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS.—T. CARD. MERTEL.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Leo ✠ Pozzi

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

Ex Decr. XIII. Concilii Prov. Westmonasterien. I. De Regimine Missionum.

[*Ad p.* 21, *n.* 33; *p.* 48, *n.* 89.]

Restituta a SSmo. D. N. hierarchia ecclesiastica, consentaneum omnino est ut regiminis forma ipsi conveniens, quantum locorum circumstantiae sinant, restauretur. Quod quidem non omni ex parte fieri potest. . . . Quapropter Archiepiscopi et Episcopi supplicandum censuerunt SSmo. D. N., ut dignaretur concedere ac sancire formam regiminis ab ipsis propositam, per quam et incommoda recensita evitarentur, et parochialis regiminis methodus paulatim introduceretur. Quibus nostris precibus SSmus. annuit; ut patet ex decreto S. C. de P. F. . . .

1. Hujus igitur vigore, donec a S. Sede aliter provideatur, in singulis dioecesibus, auctoritate Episcopi, de consilio tamen Capituli, ecclesiae nonnullae seligantur, quae magis aptae videntur, ut ad instar paroeciarum haberi possint.

2. Iis ordinario praeficiatur sacerdos qui titulum habeat *Rectoris missionarii*, qui ecclesiae et animarum curam gerat, quemadmodum

ceteri ecclesiis in Anglia praepositi; sed permanenter institutus habeatur.

. . . .

5. Ad praecavendas quaestiones quae insurgere possent, declaramus quod nonobstante rectoris missionarii deputatione licebit Episcopo, de consilio Capituli, intra limites missionis cui praeponitur novas ecclesias condere, ac portionem districtus iisdem attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat. Hujusmodi autem limites quantocius Episcopi definiri curent.

In ceteris ecclesiis seu missionibus simplices missionarii, ad nutum Episcopi amovibiles, curam animarum habebunt, intra limites unicuique missioni ab Episcopo pro tempore assignatos.

Ex Decr. viii. Concilii Prov. Westmonasterien. II. De Bonis Ecclesiasticis.

[*Ad p.* 49, *n.* 90; *p.* 159, *n.* 276.]

IX. In omni missione pecuniae quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis Ecclesiae, non pro muneribus datis sacerdoti; ex ea namque pecunia non solum ejus honestae sustentationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricae, debitis si quae sint solvendis, aliisque hujusmodi providendum est. Idcirca, si discedere a missione alicui sacerdoti contigerit in anni cursu, non jus habet ad ratam partem introitus annui nisi prius detrahatur pars juste assignanda illis impensis. Similiter ea quae providerat pro Ecclesiae usu ex ipsis redditibus Ecclesiae, v. g. cereos, vinum pro sanctissimo sacrificio, sacram supellectilem, post se relinquere debet absque compensatione, nisi constare faciat hanc provisionem aequam rationem excedere.

X. Diversas quidem methodos colligendi pecunias pro missionum sustentatione praevalere omnibus satis patet. Sequentes in primis non improbandas censemus, donec melius per charitatem fidelium provisum fuerit. Sunt igitur:

1°. Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur ecclesiae.

2°. Collectae ad offertorium in ecclesia factae.

3°. Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi determinati juxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

4°. Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt.

5°. Collectae quae vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos aut per societates et confraternitates legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata, vel quae a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis, solvuntur.

XI. Quamvis equidem optandum esset, plures ex hisce modis sustentandi Ecclesiam posse e medio tolli, jam tamen experientia docuit adhuc impossibile esse talibus adjumentis omni ex parte supersedere. Ubi igitur usus jam inviguit unum vel plures ex ipsis adhibendi, continuari ita debet, ut nulla in eis innovatio absque Episcopi arbitrio introducatur. Praesertim vero spatium liberum non minuatur neque coarctetur, eo inconsulto. Quidquid vero pecuniae per ista media ad missionem confluit, non ad ipsum sacerdotem, sed ad totas missionis necessitates pertinere reputetur. Quidquid igitur supellectilis, sacrae vel domesticae, ex his redditibus acquisierit sacerdos, vel quidquid in sarta tecta aedium sacrarum vel aedificiorum ad ecclesiam quomodocumque spectantium conservanda impenderit; non sibi, sed missioni providet, ex bonis ad eam pertinentibus.

XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primo missionem accedit, accipiat a vicario foraneo, vel ab alio deputato ab Episcopo, inventarium omnium ad missionem pertinentium. Tenetur autem supellectilem et aedificia integra servare, imo potius meliorare, ut saltem successori tantum tradat quantum ipse accepit. Quod si, vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad majorem locorum decorem nova seu venustiora providerit, distinguendum est, quonam ex fonte ista provenerint.

1°. Nam si ex proprio peculio, sive ex familiarium bene sibi affectorum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiae quae sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos haec sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quae accepit.

2°. Si vero generatim proventibus Ecclesiae, vel donis sive collectis congregationis vel tandem aere ab Episcopo vel administratoribus rerum temporalium dioeceseos concesso fuerint haec conquisita,

omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare.

XIII. Communiter etiam censendum, nisi contrarium pateat, juxta regulam in jure traditam, ea, quae ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. Ea vero quae personalem habent usum, ipsi data reputantur, sicuti etiam res sacrae, si expresse veluti grati animi vel affectus pignus a congregatione sacerdoti cuivis donantur.

XIV. Honoraria missarum ad sacerdotis peculium pertinent. Similiter ubi viget usus, antiquus quidem in Anglia, temporibus solemnibus Paschae ac Nativitatis Domini singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos de jure pertinent. Caveat vero sacerdos ne in suspicionem cadat aliquid recipiendi, intuitu Sacramenti Poenitentiae ab ipso administrati.

XV. De applicatione pecuniae quae ex juribus stolae provenit, non una eademque praxis per totam obtinet Ecclesiam. Etenim quamvis Ecclesia sordidum quaestum detestetur, ob quem pro sacramentorum celebratione extorqueatur vel exigatur pecunia a fidelibus ea petentibus, Concilium tamen Lateranense sub Innocentio III. anno 1215 habitum praescripsit ut observarentur laudabiles consuetudines, quarum vigore oblationes, ex occasione celebrationis sacramentorum, a fidelibus altaris ministris fiunt. Proventus ex hoc fonte derivantes ordinarie sacerdotibus adjudicentur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. Anteferenda vero videtur caeteris ea distributio quae magis ad allevanda onera missionis possit conferre.

Instructio S. Congregationis de Prop. Fide de Missa bis in die Celebranda.

[*Ad p.* 54, *n.* 102.]

1. Facultas bis in die missam celebrandi, qua missionum Ordinarios solet Sancta Sedes insignire, ut et ipsi missionariis suis eam communicent, non pauca dubia excitavit, quae Sacrae huic Congregationi ab iisdem sunt proposita. Huiusmodi dubiorum ratio ex ipso clausularum rigore petitur, quae Alexandri VII. iussu Formularum articulo, qui de hac agit facultate, adiecta sunt. Quamobrem opportunum visum

est, in praesenti hac Instructione colligere communiores regulas ac principia, quae in memoratae facultatis usu prae oculis sunt habenda.*

2. Nemo ignorat, ex regula generali iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam licere Sacerdotibus semel tantum in die S. Sacrificium litare. Sic statuit Innocentius III.:[1] "Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicae, *nisi causa necessitatis suadeat*, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare."

3. In casu ergo necessitatis permittitur sacerdotibus missae iteratio eodem die. Id tamen debet intelligi, uti ex ipsis Formularum verbis dignoscitur, de venia celebrandi duas tantum missas, quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem numerum celebrare suaderent. Postulavit olim Praefectus Missionis Capuccinorum Tuneti, an uno eodemque die, *si necessitas urgeat*, plures quam duas Missas celebrare potuisset, propterea quod omnes eius Missionarii in carceres coniecti erant. Atque S. Congregatio generalis Fidei propagandae praeposita die 7 Augusti 1684 respondit: *non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas*. Quod iampridem responsum fuerat in generali Congregatione habita *coram Sanctissimo* die 17 Februarii 1648; namque exposito abusu, qui invaluerat inter sacerdotes captivitate detentos in Algeria, celebrandi tres missas, "*SSmus. . . . iussit per dictum Praefectum (Algeriae) praecipi nomine Sanctitatis Suae sacerdotibus . . . quod cum Sedes Apostolica in facultatibus missionariorum potestatem seu licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas missas celebrent.*" Idem fuit repetitum annis 1818 et 1820 Praefecto Apostolico Tuneti.

4. Necessitas erga est unicus titulus, ex quo facultas sacerdotibus fit duas dicendi missas. Imprimis tamen expedit cum Verricelli[2] animadvertere, quod "haec necessitas non est desumenda ex parte inopiae sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi, et

* En dictus articulus ut prostat in facultatum Formulis a S. C. concedi solitis: "Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem . . . Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc dumtaxat obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet."

[1] Cap. *Consuluisti* de celebratione Missarum.

[2] De Apost. Missionibus, Tit. IV. Quaest. 98., Dub. 18., n. 201.

raritate sacerdotum." Quo posito principio, facile est quasdam negativas regulas eruere de usu facultatis, de qua agitur.

5. Ac *primo* quidem evidens est, haud recte sentire qui diceret, posse missam iterari diebus festis suppressis, in quibus populus missam audire non tenetur, quemadmodum monuit S. Congregatio anno 1837 hisce verbis: "*Re mature perpensa, ex ipsius formulae verbis satis clare patuit, non posse facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declaretur, facultatem valere, si necessitas urgeat, sequitur, ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse missam bis ab eodem sacerdote celebrari.*"

6. *Secundo.* Pariter interdicta est missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi missam satisfacere in suis privatis capellis. Enarraverat anno 1842 Vicarius Apostolicus Limburgensis consuetudinem in suo Vicariatu inolitam permittendi missae iterationem *in castris magnatorum;* quum autem non putaret, his in adiunctis eam necessitatem esse, quae a Formulis exigitur, petiit, tum ratione consuetudinis, tum moralis utilitatis, quae inde proveniebat, ut sibi auctoritas fieret id permittendi. At S. Congregatio Inquisitionis iudicavit, *iuxta exposita non expedire.* Quumque subiunxisset Vicarius Apostolicus, nonnullos sacerdotes ex praehabita facultate ab eius praedecessore iterationem missae prosequi, Suprema S. Congregatio decrevit, *facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet.*

7. *Tertio.* Ex huiusmodi resolutionibus infertur, consuetudinem non esse titulum sufficientem, ut idem sacerdos offere bis possit uno eodemque die S. Sacrificium. Quod etiam consonat cum eo quod docuit Benedictus XIV. in Const. *Declarasti Nobis*, data die 16 Martii 1746 ad Episcopum Oscensem in Aragonia. "*Solum inquirimus,* Pontifex ait, *utrum ea consuetudo rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparaverit, et utrumque falsum et alienum iudicamus.*" Et ad praescriptionem quod attinet, inquit: "*Si etenim iuxta civiles leges sanctae res praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel requisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam S. Concilium Trid. in missarum celebratione sacerdotibus omnibus praecipit.*" De praesumptione autem subiungit: "*Sed, ceteris praetermissis, subdimus, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de iis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et*

momenti quam veritas." Inde est, quod S. Congregatio, quum cognoverit aliquo in loco inolevisse consuetudinem iterandi missam sine necessitate, non omisit eiusmodi reprobare consuetudinem tamquam abusum, zelum Episcoporum excitans ad eam eliminandam.

8. *Quarto.* Nec etiam presbyterorum paupertas missae iterationem, ut ex Verricelli[1] indicatum est, valet probare. Quidam Hiberniae Archiepiscopus anno 1688 petiit: "Num ex sola paupertatis causa possint regulares duas missas diebus festis celebrare in privatis domibus, quamquam omnes paroeciae et conventus proprias ecclesias et capellas habeant." S. Congregationis responsum negativum fuit: quumque relatum esset in particularibus Congregationibus de Propaganda Fide habitis tum die 7 Martii 1743, tum die 28 Iulii 1750, eiusmodi abusum in Hibernia adhuc vigere, quia multi sacerdotes utebantur facultate iterandi missam non alia de causa, nisi ut pinguiores eleemosynas perciperent, atque inde commodius se sustentarent, Emi. Patres decreverunt: "*Graviter moneantur sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant.*" Et a Benedicto XIV.[2] appellatur *abusus intolerabilis* facultas alicui sacerdoti facta iterandi missam *eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret.* Solum ut aliquo modo consuleret pauperibus religiosis eius regni, qui conquesti fuerant de simili prohibitione facta a Synodo provinciali Tuamensi anno 1817 ob damnum inde proveniens, sublata ipsis eleemosyna, quam missae occasione percipere solebant ad ecclesiae ianuas, cum ipsi viverent ex fidelium oblationibus, S. Congregatio voluit, ut monerentur Episcopi, ut "*in impertienda de auctoritate Apostolica sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de praecepto duas missas ob causas necessitatis ab Apostolicis constitutionibus approbatas rationem habeant sacerdotum regularium, ac praesertim illorum, qui in pauperibus coenobiis moram trahunt.*" Ceterum cum declaraverit S. Congregatio Concilii, "*ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam* pro populo *applicare teneantur,*" uti notificatum est per litteras circulares S. Congregationis de Propaganda Fide die 15 Octobris 1863 Ordinariis missionum, quilibet iam praetextus abusui iterandi missam intuitu stipendii sublatus est. Habita tamen peculiarium quarumdam missionum circumstantiarum ratione, SSmus. Pater dignatus est auctoritatem

[1] Loc. cit. [2] Const. *Apostolicum ministerium,* 30 Maii 1753, § 11.

facere, ut constat ex dictis Litteris circularibus, earum Ordinariis permittendi, "*ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant.*"

9. *Quinto.* Necesse tandem non est adnotare, interdictam esse sacerdoti missae iterationem, quoties alius haberi possit sacerdos, qui populi necessitati valeat satisfacere, ceu expresse docet Benedictus XIV. in citata constit. *Declarasti Nobis.* Atque hinc est, ut, priusquam admittatur missae iteratio, videndum sit, num aliquod e remediis a iure constitutis suppetat ad prospiciendum spirituali populi necessitati; atque imprimis tenetur ipse parochus stipendium alteri sacerdoti suppeditare; posita autem eius impotentia, tenetur populus; et denique, si neque populus ob paupertatem ad id compelli posset, Ordinarius supplere teneretur.[1]

10. Hactenus de casibus, in quibus prohibita est missae iteratio. Ad casus quod attinet, in quibus ad hoc requisita necessitas concurrit, expositi isti in constit. *Declarasti Nobis* inveniuntur. Hac in constitutione consideratur in primis, iuxta unanimem theologorum consensum permitti iterationem missae sacerdoti, "*qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam.*" Atque hic est primus et communior casus: alter, qui ibidem recensetur, est, "*quando una tantum sit ecclesia, in qua missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest.*"

11. In his casibus iterari missa potest etiam ab iis, qui facultate non sunt donati per Formulas, quae concedi solent per S. Congregationem Fidei propagandae praepositam, cum id concedat ipsum commune ius, semper tamen dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi ferre sententiam (§. 9). Revera, eiusmodi mediis indicatis, Benedictus XIV. subiungit: "*Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur.*" Quin imo concors est theologorum opinio, quemadmodum et ipse Benedictus XIV. animadvertit, in casu unius parochi cum duabus paroeciis, "*parochum nedum posse, sed plane teneri bis eodem die missam celebrare.*"[2] Ex quibus facile consequitur, articulum Formularum, cum sit facultati-

[1] Ben. XIV. loc. cit. Votum Card. Zelada *Thesaur. resolutionum* Tom. 37 in causa Derthusen. 26 Augusti 1768.

[2] De Syn. Dioec. L. VI. cap. VIII. n. 2.

vus, protendi ad alios quoque casus necessitatis in communi iure non consideratos; secus enim inutilis ille articulus evaderet, saltem pro iis locis, in quibus paroeciae sunt canonice erectae, ipso iure communi pro his paroeciis disponente. Quod consonat cum eo quod docet Benedictus XIV. in opere *De Sacros. Missae Sacrificio*,[3] in quo postquam asseruisset, "*casum, qui revera contingit, eum esse, cum parochus duas habet parochias*, etc." his verbis prosequitur: "*Neque tamen quidquam praeiudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in missionibus, quibus consultum est concedendo missionariis facultatem plures celebrandi missas eodem die; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium persecutionem, ne fideles missa careant, opus est a sacerdotibus duas missas celebrari.*" Et de huiusmodi quidem causis, quae locum in missionibus habent, pro quibus missionum superioribus datur facultas, loquebatur anno 1832 S. Congregatio de Propaganda Fide, cum ad quendam missionarium Philippopolitanum, qui non iterabat missas, quamvis variis Christianitatibus praesideret, opportunum praebuit monitum. Iniuncta scilicet illi missae iteratione, etiam ex mandato generalis Congregationis, adiungebatur: "*Si autem quaeras, cur facultati iterandi missam in formula Indulti adiiciantur illae rigoris clausulae, invenies in ipsa formula responsum; observabis enim, Indultum non coerceri ad populi indigentias diebus festivis; sed quum generalibus terminis contineatur, comprehendere quoque alios casus, de quibus agitur, quemadmodum esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in utraque paroecia, et in huiusmodi aliis casibus locum habere debere praescriptas cautelas.*"

12. Atque in huiusmodi scilicet casibus minus frequentibus in usu eius facultatis identidem haerere visi sunt Episcopi et missionarii, de causarum praesertim sufficientia dubitantes, quae requirerentur iuxta clausulas facultati adiectas. At vero tot tamque varii sunt casus, qui de hac materia in missionibus possunt contingere, ut praevideri facile haud possint, multoque minus reduci ad determinatas regulas; de iisdem enim iudicium variari potest iuxta dispares locorum, temporum personarumque concurrentes circumstantias. Haec est ratio, cur dubiorum particularium resolutio, quae hac de re sunt proposita, plerumque remissa est prudenti superioris missionis arbitrio.

13. Ac primo quidem saepius regula postulata est de *numero* fidelium, qui esset satis, ut missa iterari posset. In constit. *Apostolicum*

[3] Lib. III. cap. V. n. 4.

Ministerium edita pro Anglia dicitur, eiusmodi facultatem posse adhiberi, "*cum eorum numerus, qui diebus festivis tenentur Sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui sacerdoti duas missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato* plures *non satisfacerent.*" Eiusmodi tamen generalis norma dubium omne non aufert de numero iterationi necessario. Idem dici potest de quodam negativo responso S. Inquisitionis anno 1688 dato missionariis Capuccinis in Graecia. Hi quaesiverant: "*Utrum missionarius sacerdos solus in loco degens duas missas diebus dominicis et festivis pro quindecim seu viginti personis, quae legitime impeditae primae missae adesse non valuerunt, celebrare possit;*" et Suprema S. Inquisitio die 28 Ianuarii eiusdem anni decrevit: *non licere.* Quod si numerus viginti fidelium haud satis existimatur ut missa iteretur, ulterius quaeri potest, quinam sit minimus numerus qui sufficiat.

14. Sed circa eiusmodi dubium, quemadmodum circa ea, quae *distantiam* respiciunt, S. Congregatio in more habuit, resolvenda haec esse prudenti Ordinariorum missionum arbitrio a quibus facultas dependet; ipsi enim in locis, in quibus degunt, recte aestimare possunt circumstantias in singulis casibus concurrentes. Et sane usque ab anno 1688 Praefectus Missionis Tuneti in Mauritania generatim postulabat, ut declararetur, qualis esse numerus fidelium deberet, qui missa privarentur, ut missa iterari posset; et S. Congregatio Generalis Fidei Propagandae die 16 Novembris respondit: *Relinquatur charitati et conscientiae P. Praefecti.* Similiter Episcopus S. Ludovici in Statibus Americae Foederatis anno 1828, exposito suo aliorumque Episcoporum timore propriam conscientiam gravandi ob formularum clausulas, postulavit: "*Utrum quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo exponuntur Missam de praecepto non audire, bis celebrare valeant.*" At iussu Leonis XII. litteris datis die 13 Martii rescriptum est: "*Omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commovearis verborum rigore, Se* (Sanctitatem Suam) *conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut iudices, quibus in casibus ratione habita adiunctorum dioecesis tuae graves adesse causae censendae sint, facultatem, de qua sermo est, sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti benigne declaravit.*"

15. Similis quoque responsio data est anno 1851 Vicario Apostolico Limburgensi, qui dubium super distantia sic proposuerat:

"*In hac regione ex antiqua consuetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessitatem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium mediae leucae; quaeritur num recte?*" S. Congregatio litteris diei 31 Iulii respondit: "*Praemisso, Episcoporum esse muneris pro viribus curare, ut hac uti facultate non sit opus ad succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda in singulis casibus assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra particularibus, deficiente presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adiuncta, quae tradunt doctores necessitatis casum efficere* (*uti propositus videtur*), *in quo dispensationi a praecepto universali de non iterando sacrificio ab eodem presbytero eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua parce omnino illum uti debere ex Apostolici ipsius indulti verbis apprime perspicitur.*" Atque haec instructio iisdem verbis missa fuit Episcopo Trevirensi anno 1853, cuius nomine varia dubia de missae iteratione proposita fuerant; rescriptum enim ei fuit die 28 Septembris, quod, eius quaesitis consideratis, "*censuit S. Congregatio dandam esse instructionem, quam . . . Vicarius Apostolicus Limburgensis obtinuit sub die* 31 *Iulii anno* 1851."

16. Ceterum inter varia responsa, quae dimetiendam iudicio Superioris remittunt causarum gravitatem, nonnullae peculiarem mentionem merentur; eiusmodi sunt illae, quae, dum sequuntur consuetam regulam remittendi Superioris iudicio causarum aestimationem, indicant simul aliquo modo genus seu necessitatis gradum, quem iteratio missae postulat, atque identidem aliquatenus temperant formidinem, atque leniunt nimiam animi anxietatem, quam Episcopis et missionariis illae clausulae creaverant, quibus haec facultas in Formulis coercitur. Unum ex eiusmodi responsis datum est anno 1848 ad Episcopum in Statibus Americae Foederatis; datis enim litteris die 9 Maii sic est rescriptum: "*Venio ad postulatum tuum circa modum interpretandi necessitatem, quae requiritur ad licitum usum facultatis bis in die missam celebrandi . . . Noverit ergo Amplitudo Tua, necessitatem huiusmodi, de qua sermo est, verum quidem, sed moralem intelligi; non autem absolutam, de qua proinde diiudicare in singulis casibus pendet a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra concessa aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur.*" Notatu dignior est declaratio, quae missa est

anno 1828 ad quendam Praefectum Apostolicum in Antillis Americae. Cum enim ille haud fideret, posse se tranquille uti facultate, de qua agitur, ob graves conditiones, quibus constringitur, imploraverat "*ampliorem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi presbyteris . . . ut diebus dominicis et festis de praecepto missam bis celebrare possint, cum id postulet necessitas aut spiritualis fidelium utilitas.*" Facta huius rei relatione S. Pontifici die 13 Aprilis, hoc modo responsum est: "*Talis existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut SSmus. D. N. iusserit, omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existimaveris necessarium esse, vel fidelibus vehementer utile, ut sacerdotes bis missam eodem festo die celebrent, verborum, quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T: committit de necessitate ista et causarum gravitate iudicare, atque in iis rerum adiunctis facultatem per memoratum Rescriptum copiam faciendi sacerdotibus, ut missam bis celebrent, te habere, Sanctitas Sua benigne declaravit.*"

17. Eadem regula committendi arbitrio aut charitati Superiorum missionum applicationem generalium principiorum practicis casibus, servata quoque est, quando in ipsis, prout exponebantur, non appareret ea causarum vis et gravitas (saltem si hae causae considerarentur in se et in abstracto), quam huius facultatis clausulae exigunt; quod quidem confirmat, in causis considerandis, quae usum facultatis suadeant, magnam rationem habendam esse omnium conditionum statusque fidelium. Huius rei argumento est responsio a S. C. data anno 1688 Vice-Praefecto Missionis Tripolitanae. Hic ob clausulas incertus quaesierat, "cuinam numero servorum aut liberorum posset praecise celebrare missam secundam, quum interdum daretur casus, ut in balneo extra Tripolim praesentes sacrificio non adessent plures quam decem aut quindecim servi . . . et an in presbyterorum carentia pro illis solis posset celebrari secunda missa diebus festis." Iam vero quin obstaret resolutio eodem anno data a S. Congregatione Inquisitionis pro simili casu, ut notatum est superius § 13, S. Congregatio Fidei Propagandae praeposita die 5. Octobris respondit: "*Relinquatur charitati et conscientiae P. V. Praefecti.*" Neque mirum esse debet, si haec S. Congregatio benigniori interpretationi indulsit; agebatur enim de servis, qui ob ipsorum conditionem peculiarem indulgentiam merebantur, quum unicum fortasse solatium eis esset ss. missae sacrificium. Aliud eiusmodi benignitatis argumentum, ratione circumstantiarum habita, an. 1860 suppeditavit S. Inquisitio;

namque licet die 20 Iulii responderet Vicario Apostolico cuiusdam Regni Sinis adiacentis, "*desiderium neophytorum bis aut ter in anno SSmam. Eucharistiam sumere volentium* per se *non esse urgentissimam causam in casu de quo agitur,*" idest iterandi missam iuxta facultatem; attamen subiunxit: "*sed, pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici.*" Ex quibus eruitur, eas causas, quae per se atque proinde multis in locis graves non sunt, graves evadere posse in aliis locis ob circumstantias, quae casum concomitentur.

18. Haec sunt principia, quae prae oculis sunt habita quoad facultatem missam iterandi, quaeque profecto in eiusdem facultatis exercitio missionum Ordinarios tranquillos reddere poterunt. Quamvis autem sapienti Ordinariorum missionum arbitrio hac in re deferri soleat, attamen ex hactenus dictis apparet, quanta cautela ipsi uti debeant, quum semper eorum conscientia onerata maneat in legitimo huiusmodi extraordinariae facultatis exercitio. Nihilominus repetere heic iuvabit, quod S. Congregatio anno 1832 ad Episcopum Nicopolitanum in Bulgaria rescripsit, clausulas in Formulis adhibitas "*intelligendas haud esse in* extremo *rigore, habito prae oculis principio, Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium, desiderio, ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint.*"

19. Superest nunc de ritu dicere seu de modo, quo iterari missa possit. Semper a S. Congregatione missionariis fuit praescriptum atque ab ipso Benedicto XIV., eum, qui missam iterat, consuetas calicis ablutiones sumere non debere ob ieiunium, ita ut, "si in prima missa post receptionem Corporis et Sanguinis profusionem acceperit, non debeat secundam missam in praedictis casibus celebrare"[1] id est, etiam in iis casibus, in quibus populus sacrificio diebus festis secus privaretur. Quamvis autem in decreto Sacrae Congregationis SS. Rituum in *Elusitana* die 16 Septembris 1815, praescriptum esset, ut unus tantum esset calix, quo uti debeat, qui duas celebret missas; quum tamen eiusmodi decreti executio haud levibus difficultatibus esset obnoxia, quando celebrari deberet in duabus ecclesiis ab invicem remotis, idem Sacer Ordo in generalibus comitiis habitis die 12 Septembris 1857 pro moderamine dicti decreti rescripsit: *usum duorum calicum in casu posse permitti.* Instructio, quae heic adiicitur, iussu eiusdem S. Congregationis SS.

[1] Conc. Nemaus. 1284. apud Bened. XIV. *De SS. Missae Sacrif.* lib. III. cap. V. n. 4.

Rituum concinnata, modum respicit purificandi calicem, qui pro prima missa inservierit.

Ex aedibus dictae S. Congregationis die 24. Maii 1870.

Instructio a S. R. C. 12 Septembris 1857 edita de modo bis missam eadem die celebrandi.

Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus*, etc., subinde, admoto aquae vasculo, digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporale manentem adhuc deducta palla cooperiat, ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec missam prosequatur, et, completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altaris, et, detecto calice, inspiciat, an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et superexstantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa pro rerum adiunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus), et in secunda purificatione in calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera missa diverso calice uti poterit.

Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo sacerdos duas missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae

proprium ritum est, ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Caietani Mariae Merati hic ritum adiungere a sacerdote servandum, cum utramque missam in eadem ecclesia offerre debet.

Hoc itaque in casu sacerdos post haustum in prima missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet iunctis manibus: *Quod ore sumpsimus, Domine*, etc. Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in altari praeparato abluet, interim dicens: *Corpus tuum, Domine*, etc., abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super altare relinquet; secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam missam; in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda missa sacerdos ad offertorium devenerit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu epistolae collocabit, sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione, cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret.

Responsio S. O. de Baptismo Haereticorum et Matrimonio Massonum.

[*Ad p.* 63, *n.* 122.]

Rmus. Vicarius Apostolicus Bombajensis exposuit sequentia dubia:

I. *Dubium:* Utrum, quando post diligentem indagationem de valore baptismi a ministro haeretico collati nihil constiterit nisi ministellum baptizantem pertinuisse ad sectam Anglicanam, cuius Rituale validam praescribit materiam et formam, hoc factum sufficiat ad praesumendam baptismi validitatem, ita ut ad licite conferendum baptisma conditionatum speciali argumento probari debeat eius invaliditas; an vero praesumi debeat invaliditas baptismi a tali ministello collati, ita ut sacerdos in tali casu conditionate rebaptizans irregularitatem non incurrat.

II. *Dubium:* Utrum iuramentum Massonicum non retractatum considerari et tractari possit vel debeat ad instar impedimenti matrimonium impedientis aut etiam dirimentis; et quae cautelae exigi debeant ut matrimonium puellae catholicae cum viro Francomuratore iurato, licite aut etiam valide a parocho benedici possit.

FERIA IV. DIE 21 FEBRUARII 1883.

In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis. ac Rmis. DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei generalibus inquisitoribus propositis dubiis iidem Emi. ac Rmi. DD. praehabito voto DD. Consultorum decreverunt respondendum prout sequitur, idest:

Ad I. *Dubium:* detur decretum fer. IV. 20 Novembris 1878; quoad irregularitatem vero iuxta exposita non fuisse incursam. Decretum autem feriae IV. 20 Novembris 1878, hoc est; scilicet — Proposito dubio utrum conferri debeat baptismus sub conditione haereticis qui ad catholicam fidem convertuntur e quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant — Emi. Patres responderunt — Negative: Sed in conversione haereticorum a quocumque loco vel a quacumque secta venerint inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute: Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei.

Ad II. *Dubium:* Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis aggregationibus notoric adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re non ediderit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Omnino vero excludatur celebratio sacrificii missae nisi quando gravia adiuncta aliter exigant.

I. PELAMI *S. R. et U. Inquisitionis Notarius.*

Responsio S. O. de Baptismo Haereticorum quoad Matrimonium.

[*Ad p.* 63, *n.* 122.]

Episcopus Savannensis exponit quod inter ceteros difficilis solutionis casus, qui in his Foederatorum Americae Septentrionalis Statuum ecclesiasticis provinciis, ac in hac quoque mea dioecesi occurrunt, reperitur etiam sequens.

Frequenter contingit, ut duo acatholici inter se contraxerint matrimonium et ignoretur utrum sive uterque sive alteruter fuerit baptizatus. Eiusmodi matrimoniis inter duos acatholicos, aut sine dispensatione inter catholicum unum et acatholicum alterum, initis, in nulla ex dioecesibus nostris obstat impedimentum clandestinitatis. Contracto ita matrimonio, haud raro evenit, ut compars compartem deserat. Post aliquod tempus partes ita separatae non infrequenter ad alias nuptias convolant superstite altera parte.

Scio equidem casu quo, spectata qualitate probationum pro et contra, dubitetur num vel alteri vel utrique parti collatum fuerit baptisma, standum esse pro valore matrimonii cum tali dubio ac sine dispensatione contracti usque dum non constet illud fuisse invalidum; verum deficientibus ceteris pro utraque dubii parte probationibus:

Quaero num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem collatio vel non collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit. In dubiis id affirmat doctissimus b. m. Archiep. Patr. Kenrick; in theologia enim sua morali (tract. XXI. n. 48.) haec habet "Si de consortis baptismo non constet, nec certum haberi queat testimonium, in eam propendere oportet sententiam de baptismo et matrimonii valore, cui favent indicia et adiuncta." Quod si recte ita sentit laudatus Kenrick:

Quaero ulterius utrum dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti, rite applicetur in articulis sequentibus:

1. Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes, quae baptismum respuit, hic non est praesumendus.

2. Idem resolvendum, si parentes habuerint pertinentes ad sectam quae infantium baptismum non admittit, seu in qua non confertur nisi adultis v. g. annum aetatis trigesimum iam adeptis quemadmodum res se habet in secta Baptistarum.

3. Idem pariter resolvendum, si parentes habuerint qui dum in vivis essent, professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere, seque Ens supremum honestis potius, ut aiunt, moribus quam speciali aliquo cultu honorare.

4. Si parentes habuerint pertinentes ad sectam quae eumdem ut necessarium habet, vel in qua saltem ordinarie administratur, et iidem parentes in secta sua zelosi fuerint, praesumendus est baptismus.—At quid si parentes in secta socordes fuerint, aut ad sectam pertinuerint, quae baptismum quidem non respuit sed eum non habet ut necessarium et in qua ordinarie non administratur? an in utroque aut alterutro casu praesumendus baptismus vel non?

5. Si iuxta unius tantum parentis sectam et animi ut supra zelosam dispositionem praesumptio faveat baptismo, et in educatione prolis de facto et indubie primas habuerit partes, praesumendus est baptismus.—Idem resolve, si facta inquisitione, ignoretur aut non satis constet utrum primas habuerit partes; baptismus enim in ordine ad matrimonium praesumendus est cum coniugium semel initum censendum sit validum quamdiu obex se prodat. Sed quid si certo constet, illius qui de facto et indubie primas in educatione habuit partes sectam et animi dispositionem non favere baptismo, dum alterius secta et animi dispositio eidem favet?

6. Casu quo nulla pro baptismo militat praesumptio, applicanda est regula: factum non praesumitur, sed probandum est. Huius regulae applicatio in his Foederatis Statibus ubi inter acatholicos plurimi sunt, qui de baptismo infantibus suis conferendo nihil aut parum curant, potiori forte iure locum habere debet, quam in multis aliis regionibus.

Quaestiones praefatae ideo praecipue proponuntur, ut ex earum solutione norma habeatur, iuxta quam tuto procedi possit in his praesertim casibus. 1°. Dum ex duobus partibus acatholicis ab invicem ut supra separatis, altera in gremium Ecclesiae recipi postulat, et ad alias nuptias convolavit aut convolare cupit. 2°. Dum pars catholica ab acatholica ut supra separata, cum alia coniungi postulat, aut cum alia iam iuncta, ad sacramenta admitti exoptat.

FERIA IV. DIE 1 AUGUSTI 1883.

In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis. ac Rmis. DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus

fidei inquisitoribus generalibus, propositis suprascriptis dubiis et praehabito voto DD. Consultorum, Emi. decreverunt:

Ad I. *Affirmative,* peracta tamen investigatione in singulis casibus.

Ad II. Nempe:—Utrum dum baptismi collatio ignoratur principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti rite applicetur in articulis sequentibus?—

Responderunt—*Affirmative* quoad *primum, secundum* et *tertium* articulum, et quoad primam partem *quarti* et primam partem *quinti* numeri; at in hoc postremo articulo, post verba *habuerit partes*— addatur:—*neque alter coniux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi, praesumendus est baptismus.* In reliquis casibus qui adnotantur in secunda parte numeri *quinti* recurrendum est ad S. Sedem, expositis omnibus rerum locorum et personarum adiunctis, aliisque ad rem facientibus. Ad *sextum,* provisum in praecedentibus.

I. PELAMI *S. R. et U. Inquisitionis Notarius.*

DECRETUM GENERALE S. R. U. INQUISITIONIS DE BENEDICTIONE NUPTIALI.

[*Ad p.* 64, *n.* 125.]

FERIA IV. DIE 31 AUGUSTI 1881.

In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis. ac Rmis. DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei inquisitoribus generalibus, praehabito voto DD. Consultorum iidem Emi. ac Rmi. DD. decreverunt.

Benedictionem nuptialem quam exhibet missale romanum in *Missa pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen missae celebrationem juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant post quam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint,

vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

✠ FR. VINCENTIUS LEO SALLUA
Archiep. Chalcedonensis
S. R. et U. Inquisitionis Commissarius Generalis.

IUVENALIS PELAMI
S. R. et U. Inquisitionis Notarius.

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

[*Ad p.* 68, *n.* 134.]

Cum dispensatio sit iuris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda aliqua huiusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in huiusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa iuvant, *arg. l.* 5. *C. de probat.* Huiusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio

foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. *Aetas foeminae superadulta*, si scilicet 24um aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum iam exortae*, vel *earumdem grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna, et Principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia, ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus

innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, c. 7. *de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess.* XXIV., *cap.* 5 *de reform. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli coniugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV. 14 Aug. 1822 decrevit: "respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire iudicaverit." Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile

periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes.[1]

Sed iam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de iure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte et nitide, ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii*. Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima impedimenti*, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta vel transversa; item an Oratores sint coniuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. *Numerus impedimentorum*, ex. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

[1] Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus *Praxis dispensationum Apostolicarum* Lib. VII. et VIII. Vincentius De Iustis *De dispensat. matrimonialibus* Lib. III.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si iam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus, et iuxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post eius impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii, Fer. IV. 1 Augusti 1866.* In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto coniuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat huiusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 20 Martii 1842, probante s. m. Greg. XVI. ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem tribunal literis diei 10 Decembris 1874 edixit.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 Maii 1877.

Responsum Sancti Officii de Copula Incestuosa.

Infandum incestus flagitium peculiari semper odio sancta Dei Ecclesia prosecuta est, et Summi Romani Pontifices statuerunt ut qui eo se maculare non erubuissent, si ad Apostolicam Sedem confugerent petendae causa dispensationis super impedimentis matrimonium dirimentibus, eorum preces, nisi in eis de admisso scelere mentio facta esset, obreptionis et subreptionis vitio infectae haberentur, atque ideo

*Quae hoc loco de copula incest. dicuntur, recentissime a S. Pontifice abrogata sunt, ut patet ex *sequenti* Responso S. O.

dispensatio esset invalida: idque ea sanctissima de causa cautum fuit, ut ab hoc gravissimo crimine Christifideles arcerentur.

Hanc S. Sedis mentem testantur tum alia documenta, tum decretum quod novissime supremum sanctae romanae et universalis Inquisitionis consilium, ipso adprobante Romano Pontifice, feria IV. die 1 Augusti 1866 tulit, quod est hujusmodi: "subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes quae sive directe ab Apostolica Sede sive ex pontificia delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis necnon et publicae honestatis conceduntur, si sponsi ante earundem dispensationum executionem, sive ante sive post earum impetrationem incestus reatum patraverint: et vel interrogati vel etiam non interrogati, malitiose vel etiam ignoranter reticuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publice ea nota sit sive etiam occulta, vel reticuerint concilium et intentionem qua eandem copulam inierunt, ut dispensationem facilius assequerentur." S. Poenitentiaria vestigiis insistens supremae Inquisitionis id ipsum die 20 Julii 1869 statuit.

Verum cum plurimi sacrorum Antistites, sive seorsum singuli sive conjunctim, S. Sedi retulerint, maxima ea de causa oriri incommoda cum ad matrimonialium dispensationum executionem proceditur, et hisce praesertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat, Sanctissimus D. N. Leo, divina providentia Papa XIII., eorum postulationibus permotus, re diu et mature perpensa, et suffragio adhaerens Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium in universa Christiana republica una mecum inquisitorum generalium, hasce literas omnibus locorum Ordinariis dandas jussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum s. romanae et universalis Inquisitionis et S. Poenitentiariae, et quidquid in eundem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiae inductum fuerit, a se revocari, abrogari, nulliusque roboris imposterum fore decerni; simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Dum tamen ob gravissima rationum monumenta a pristino rigore hac super re Sanctissimus Pater benigne recedendum ducit, mens ipsius est, ut nihil de horrore quem incestus crimen ingerere debet, ex fidelium mentibus detrahatur; imo vero summo studio excitandos

vult animarum curatores aliosque quibus fovendae inter Christifideles morum honestatis cura demandata est, ut prudenter quidem, prout rei natura postulat, efficaciter tamen elaborent huic facinori insectando et fidelibus ab eodem, propositis poenis quibus obnoxii fiunt, deterrendis.

Datum Romae ex cancellaria S. O. die 25 Junii 1885.

D. CARD. MONACO.

EPISTOLA EMI. CARD. PATRIZI DE MATRIMONIIS CLANDESTINIS ET QUASI-DOMICILIO.

[*Ad p.* 63, *c.* II.]

Illme. ac Rme. Domine uti frater.

Saepe ad hanc Sedem Apostolicam delatae sunt controversiae de illorum matrimoniis, qui cum pertineant ad loca in quibus publicatum est decretum Concilii Tridentini de clandestinitate, ad locum se conferunt in quo illud publicatum non est, ut liberius ibi possint maritali foedere coniungi citra illas difficultates quibus in patria praepediuntur. Inde et gravissimae de validitate quaestiones, et gravissima simul incommoda oriri solent, quae non modo incertum tenent sacrorum Antistitum animum in iudicando, verum etiam pastoralem eorumdem zelum vehementer commovent. Ad haec incommoda removenda SSmus. Dominus Noster Pius Papa IX. pro ea, qua maxime urgetur totius dominici gregis sollicitudine, animum adiiciens, hanc rem examinandam discutiendamque commisit Supremae Congregationi S. Officii, et interim hanc ad te dare epistolam mandavit ut significare velis quod de eadem re sentis et experientia cognitum habes.

Certum quidem est, perrara ea fore matrimonia, de quibus hic agitur, si canonicae praescriptiones de quasi-domicilio ab iis, qui e loco profecti ubi lex Tridentina de clandestinitate viget ad eum pergunt ubi non viget, diligenter accurateque servari contingeret. Perspectum enim tibi exploratumque est quod a S. Congregatione Concilii iampridem definitum et summi Pontificis Urbani VIII. auctoritate confirmatum est in brevi quod incipit *Exponi nobis* et rogatu Archiepiscopi Coloniensis editum fuit die 14 Augusti an. 1627. Iuxta ea quae in hoc decreto sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Tridentina lex viget nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habita-

tionem sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant. Ad constituendum vero quasi-domicilium, quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo haec simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem. Quapropter si legitime constet, vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die quo duo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis habitatio, iudicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum. Verumtamen, si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna difficile est huiusmodi indicia habere quae iudicem securum faciant: inde est quod adhiberi maxime debet regula a summo Pontifice Benedicto XIV.[1] confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex praesumptione iuris intentionem permanendi per maiorem anni partem extitisse, et quasi-domicilium fuisse acquisitum, proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec iuris, quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse, tunc profecto contrarium proferri debere iudicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. Praeterea manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent.

Huiusmodi canonicae praescriptiones, praesertim in quantum exigunt ut habeatur animus permanendi maiore anni parte, eludi solent in matrimoniis, quorum incommodis occurrendum nunc est, minimeque servantur. Opportune igitur hisce malis remedium afferretur, si eaedem canonicae praescriptiones, salva matrimoniorum libertate, efficaciori et quantum humana patiuntur haud facile eludenda sanctione communirentur. Ad hunc effectum Sanctitas Sua suffragio adhaerens Emorum. Patrum Cardinalium una mecum In-

[1] Literis die 19 martii 1758 ad Archiep. Goanum datis, quae incipiunt *Paucis abhinc hebdomadis.*

quisitorum Generalium a te peculiari modo exquirendum mandavit, utrum expediat declarare, Ecclesiam praesumere, neutrum ex illis, qui e loco discedunt ubi Tridentina lex viget, habuisse voluntatem permanendi ad maiorem anni partem, ideoque nec quasi-domicilium acquisiisse in loco ubi ea lex non viget: et quam voluntatem forte iactant esse simulatam, et matrimonium quod contraxerint esse invalidum: nisi ipsi vel alteruter eorum Ordinario loci ubi matrimonium contrahitur vel eius delegato se stiterint, et comprobata sicuti par est sui status libertate, animum ibidem commorandi ad maiorem anni partem concludenter demonstraverint; ut si quis ex. gr. concludenter probet se ad sex menses vel domum conduxisse vel operam suam apud aliquem locasse, in eaque re nullam esse fraudem duo probi homines sive viri illi sint sive foeminae testentur; vel si sola etiam huiusmodi testium fides adducatur, qui scilicet Curiae episcopali vel eius delegato probe cogniti sint, quique profiteantur scientiae causam offerentes sibi notum esse, eum de quo agitur vere sincereque fixum habere, sex saltem mensibus in eodem loco commorari, vel denique alia hisce similia afferantur, quae pro concludenti probatione in iudiciis admitti solent.

Quod si gravibus forte rationibus id futurum observatu difficile vel utcumque minus opportunum tibi persuades, tunc considerandum quoque proponitur, utrum expediat, ut in locis ubi contrahi solent matrimonia, quae tot tantaque pariunt incommoda, et nominatim in Anglia rite publicetur decretum Concilii Tridentini *Tametsi* sess. XXIV., c. 1 *de refor. matr.*, ita tamen ut obliget catholicos dumtaxat inter se contrahentes, quemadmodum servatur in iis locis ad quae ab Apostolica Sede extensa fuit declaratio edita anno 1741 a summo Pontifice Benedicto XIV. pro Hollandia.

Fac igitur, ut adhibita quoque si lubet praestantium virorum opera, hac in re sane gravissima studiose indaganda sedulo verseris, et sententiam deinde tuam scripto tradas mihique communices. Nec te pigeat simul enucleate rationum momenta exponere quibus ad ea quae hic tibi proponuntur sive admittenda sive excludenda fueris adductus.

Non dubitatur, quin nihil sis praetermissurus, quo hoc munus tibi a Sanctitate Sua demandatum sedulo celeriterque exequaris. Interim fausta cuncta ac felicia tibi precor a Deo.

Romae die 7 Iunii 1867.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus uti frater

C. CARD. PATRIZI.

Instructio Supremae Sacrae Congregationis ad Probandum Obitum Coniugis.

[*Ad p.* 63, *c.* II.]

Matrimonii vinculo duos tantummodo "Christo ita docente, copulari et coniungi posse, alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est."

Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti C. *Dominus, de secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuncium, uti C. *In praesentia, de sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias*, 21 Augusti 1670 a Clemente X. sancita, et in Bullario romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in curia Emi. Vicarii Urbis, et ceterorum Ordinariorum, maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis, omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi semper posset. Sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: "*Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*") sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda. Imo cum pro summa illa facilitate quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instruc-

tiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis quae iam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI. ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis paroeciae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Con-

gregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum, atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcunque rationabilem causam examinari nequeant; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propriore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores sive etiam leviores colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae *personam* ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*:

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset: pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore, et coniunctis; quae tunc eius aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex *rerum adiunctis* pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit *etc.*

Si negotiationis causa iter susceperit inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae *etc. etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. *Fama* quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis, et iuratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per *publicas ephemerides,* datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et iuris prudentum suffragiis, denique suum iudicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus ecclesiastici praesides certam desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta, et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

Instructio de Iudiciis Ecclesiasticis circa Caussas Matrimoniales.

[*Ad p.* 63, *c.* II.]

Pars Prima. De Processu Matrimoniali.

De iudice competenti.

§ 1. Caussae matrimoniales ad iudicem ecclesiasticum spectant cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivantibus sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis iudicat.

§ 2. Coniuges in caussis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens coram Episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur.

De accusatione contra matrimonium.

§ 3. Ut in tribunali ecclesiastico caussa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo; ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis praeseferens de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

§ 4. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto: si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo

ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

§ 5. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

§ 6. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui cancellarii officio fungens quidquid ad caussam pertinet in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

De tribunali constituendo.

§ 7. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si iusta caussa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

§ 8. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

§ 9. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare ut in iudicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui ius habent petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

§ 10. Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore iuramentum praestabit, tactis sanctis Evangeliis, de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre iudicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicata, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

§ 11. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu eadem ipsi tra-

dantur, ut eas exarare queat animadversiones quas tuendae matrimonii validitati necessarias iudicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet.

De methodo tenenda in actis conficiendis.

§ 12. Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Iuramentum praestandum erit tactis sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

§ 13. Qui examini subiiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cuiuslibet examinis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod iuramentum revera praestiterint.

§ 14. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illiteratus, faciet hoc signum Cru✠cis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

§ 15. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quarum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, et caeteris servatis quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

§ 16. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum

moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

§ 17. Inter examinandos primo loco venit ille qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

§ 18. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

§ 19. Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

§ 20. Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi reliquuntur qui illas concinnare, augere aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur quae

ad rectum proferendum iudicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

§ 21. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus, erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

§ 22. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

§ 23. Publicato processu, locus fiet defensionibus quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent refutare valeat.

De sententia proferenda, et appellatione

§ 24. Omnibus ut supra peractis ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et nonnisi audito eorum voto sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicta iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

§ 25. Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et caussa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio Praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda.

§ 26. Ordo appellationis erit prout sequitur. Si prima sententia a curia Episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam Metropolitanam; si vero a curia Metropolitana ea prodierit, appellabitur ad curiam Metropolitana viciniorem. Ad S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit caussam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

§ 27. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius qui primum sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro processu, caeterisque omnibus ad caussam iterum iudicandam pertinentibus, ad tribunal ad quod appellatum est.

De secunda instantia.

§ 28. Hoc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novae informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii addesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit proprias animadversiones illis apponere valeat.

§ 29. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquiren-

dum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, auditis prius, modo quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia iuris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

§ 30. Quando utraque sententia conformis pro validitate coniugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio caussarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

Pars Altera. De Regulis Servandis in Tractandis Caussis Matrimonialibus in Specie.

Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus caussis matrimonialibus generatim servandas ut iuridica illis stet validitas, quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indolem quae iudicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent aliqua speciatim animadvertenda sunt.

Art. I.—De impedimentis cognationis carnalis, vel spiritualis, et affinitatis.

§ 31. Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit eiusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas, quae ex praecedenti matrimonio

processerit, dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo coniugum, et eorum qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum qui baptizati vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit ut eiusdem parochi obsignatio a curia Episcopali authentica declaretur.

§ 32. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in iudicium vocandi erunt et iuridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum de quibus agitur nota sit aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi fundamento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda ; eius tamen sedulo consideranda erit origo et rationes quibus innititur. Caeterum iudex semper prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et nunquam licere contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt ut libri baptizatorum, confirmatorum, et matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur et accurate custodiantur.

Art. II.—De impedimento publicae honestatis.

§ 33. Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum, vel regesta existentia penes ministros haereticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis manantia, vim habere possint ali-

quando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de existentia vel de non existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci quae ad factum rite iudicandum conducere poterunt.

§ 34. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint, et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur, ex documentis si habeantur, ex testium fidem merentium depositionibus, nec non indiciis quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam nunquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrinque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et si ab una tantum, utrum alia eam acceptaverit sive verbis, sive factis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

§ 35. Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet, petitis documentis ex libris baptizatorum atque ex testimonio parentum, sive aliorum, qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

Art. III.—De impedimento vis et metus.

§ 36. Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur, reiici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti dicitur, utili facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerendum erit quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit utrum accusatio admittenda an reiicienda sit. Secundo prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem, qui nempe in virum constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum exquirendum omnes sive moderatoris actorum sive defensoris matrimonii investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

§ 37. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de adhibita coactione accusantur, ita consueverint agere cum persona quae coacta dicitur, ut gravem atque molestam eidem redderent domesticam et familiarem cohabitationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae; utrum verba gravi indignatione plena adhibita, intentata haereditatis privatio, eiectio e paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas, aut decus obventurum? quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives, ut facile quod minabantur perficerent, et animo ita essent duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis impedimenta obiici paterentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur ut et propria sensa exponere, et iuxta propriam voluntatem operari potuerit; an parentes ita eam segregarint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec cuiquam eiusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi quos de matrimonio ineundo consilia praebere posse iudicaverint.

§. 38. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur, aliquando relationem habuerit cum eo cum quo postea contraxit, et utrum aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam voluntatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione aliqua exorta sit suspicio contra decorem vel ipsius personae vel familiae, a qua parentes moveri potuerint ad matrimonium exigendum tamquam remedium bonae famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit ut a coactione parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit, utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit, utrum et quomodo altera pars operam dederit ut matrimonium revera concluderetur. Considerandum erit, utrum quando contractus matrimonialis erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit, utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit,

sive quando necessaria pro matrimonio parabantur, sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum nuptiale celebrabatur, utrum nempe his omnibus hilaris, prompta, et laeta adstiterit, an secus. Consideranda quoque eius agendi ratio erga alteram partem, et erga eiusdem familiam; utrum nempe benevola et affectuosa, utrum libenter et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an eisdem obstiterit, ea praesertim de caussa quia matrimonium nullum putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postremum factum probandum considerari debet, utrum hac de caussa inter coniuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifestaverint, et quibus, a quo tempore post matrimonium istae querimoniae inceperint, et ex qua caussa vel ratione, utrum ad tales lites et dissensiones tollendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et in casu affirmativo, a quibus et quo exitu.

§ 39. Ad praedicta cognoscenda in iudicium vocandi erunt ambo coniuges, eorumque parentes, illi praesertim qui de coactione adhibita accusantur, et opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine ob quem ad vim adhibendam ducti fuerint. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusantis, et interrogandi de omnibus quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum quae in actis habentur viderint aut audiverint, quidve norint accedisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post coniugum separationem, si haec locum habuerit. In hisce examinandis iudex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae caussa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio adstitit; illi qui eiusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt vel ut consiliis et hortationibus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

§ 40. Caeterum in hac re iudex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint.

Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

Art. IV.—De impedimento ligaminis.

§ 41. Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, repetendum asseritur vel ex matrimonio, catholico modo a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut iuxta diversarum sectarum instituta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; vel ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Diversorum istorum casuum possibilitas, aut etiam frequentia manifesta est, cum in regionibus Americae catholici commixti vivere cogantur cum haereticis et infidelibus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt, quia diversis legibus reguntur.

§ 42. Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius coniugis; et ideo locum non esse eiusdem dissolutioni declarandae in iudicio, nisi de morte alterutrius coniugis constiterit.* Ut autem de hac constare dicatur, non sufficit rumor aut fama quaecumque, neque solae praesumptiones, sed requiritur certus de ea nuntius, aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio aequipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu iudex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit, alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii existentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochiis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius coniugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suos libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerit ante, vel post prioris coniugis mortem; atque ita iudicetur utrum secundum matrimonium validum, an nullum fuerit.

* Vide Instr. de probando obitu conjugis, *supra* p. 258.

§ 43. Quando ad mortem prioris coniugis probandum praesto non sunt neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est, quae a iudice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius, de quo agitur, revera accidisse affirmaverint, aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint quem mortuum asserunt; quo tempore, quo loco mors acciderit, qua de caussa, ubi cadaver sepultum; utrum adsint et ubi commorentur alii qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Ab illis vero qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias, a quo tempore fama de morte vulgari coeperit, et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum qui primitus de re ista sunt loquuti; utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint ut talem notitiam evulgarent. His cognitis in iudicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subiiciendi, ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat iudex, ne admittat eos qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur; et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti; utrum pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes qui personas, de quibus agitur, plene non cognoscant; et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in loco fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo quae necessaria est ut iudicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipuae sunt: aetas personae quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit; tempus eiusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius; locus vel loca, ad quae se contulerit, utrum valitudini corporali noxia, an et quibus vicissitudinibus subiecta fuerint, ex. gr. num ibidem bella, vel pestilentiae saevierint;

eiusdem personae physica constitutio, utrum sana et robusta, an debilis et infirma. Erit similiter perpendenda causa quare e propria discesserit domo, utrum nempe ad negotium vel ad artem aliquam exercendam, an potius ut coniugem derelinqueret. Haec cognosci vel deduci poterunt ex benevolis aut contrariis relationibus, quas vel coniuges habuerunt inter se, durante eorum contubernio, vel ille qui discessit continuavit cum altero coniuge sive per litteras sive per nuncios; si enim constiterit, ad tempus talem epistolarum sive relationum consuetudinem adfuisse, et postea cessasse, quin cessationis caussa aut ratio appareat, gravis de morte obita praesumptio habebitur; si e contra constiterit eum qui discessit nunquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia, aut cum propinquis et amicis, indicium mere negativum nullam probationem facere poterit. Ponderandum quoque erit genus vitae, quod discedens in aliena regione amplexus fuerit; si vitam et artem militarem exercendam elegerit, vel arti nauticae aut servitio alicuius navis sese addixerit, et cognoscatur in quo exercitu militaverit, aut in qua navi servierit, inquisitiones erunt faciendae penes duces exercitus illius, et penes gubernatores vel officiales navis. Si cognita fuerint loca, in quibus commoratus est, in singulis locis, et praesertim in illo in quo commorabatur, quando eius indicia perdita fuerunt, investigationes erunt faciendae. Ad has tribunal adhibebit idoneas personas, si praesto sint, vel etiam civiles auctoritates, ab iisdem postulando ut, quibus pollent modis, de illo opportunas investigationes faciant, atque etiam in subsidium vocentur publica diaria cum indicatione nominis, cognominis, patriae, professionis et conditionis illius, de quo quaeritur. Item si fieri possit, tribunal curabit, ut in locis in quibus idem commoratus fuerit publica edicta affigantur, et singuli excitentur, ut notitias, si quas habeant, velint suppeditare. Si omnibus istis adiumentis adhibitis nihil omnino poterit reperiri, et si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante secundas nuptias, de quarum valore agitur, adstruendam conspiraverint, iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit; non enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur, hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo constiterit.

§ 44. At si non ex isto capite * sed potius quia primum matrimonium in haeresi contractum, rescissum fuerit ob aliam caussam, specialia quaedam erunt observanda. Et primo advertendum est,

* Subintellige: *connubii secundi valor asseratur*, etc.

Evangelicam et Apostolicam doctrinam esse, matrimonium valide celebratum solvi non posse propter adulterium, vel propter molestam cohabitationem, aut longam et affectatam coniugis unius absentiam, aut propter aliud quodcumque motivum ab haereticis confictum. Quare si constiterit, a tribunalibus haereticorum ob aliquam ex istis rationibus praecedens matrimonium dissolutum fuisse, caussa in favorem secundi matrimonii a tribunali catholico ne admittenda quidem seu introducenda erit. Si vero eiusdem dissolutio fuerit decreta ob alium titulum a iure canonico recognitum, sciendum est, acta a tribunali haeretico confecta valore iuridico carere, et ex ipsis solummodo iudicium proferre catholico iudici minime licere. Quare tunc caussa ex integro erit instituenda, et iuxta ss. canones pertractanda. Vetitum tamen non est, imo aliquando expediet, ut acta tribunalis haeretici requirantur, quo plenior factorum et circumstantiarum cognitio attingatur. Imo si huiusmodi documenta a partibus fuerint exhibita, dummodo nihil aliud obstet, poterunt adhiberi, atque ex illis indicia colligi. Partes tamen erunt semper audiendae, nec non, quatenus fieri poterit, etiam testes singuli iterum in iudicium vocandi, et interrogandi ad normam harum regularum. Neque omittenda aliarum personarum iuridica depositio si adesse cognoscantur; sicut neque alia acta, quae vel moderator vel defensor matrimonii necessaria reputaverint. Si perpensis omnibus iudex censuerit, sententiam edicendam esse conformem sententiae a tribunali haeretico prolatae, numquam tamen istam sententiam tamquam sui iudicii motivum invocare debebit; neque ullo modo post eam existimandum erit, duas adesse sententias conformes, a quibus necesse non sit appellare.

§ 45. Quoad matrimonia in infidelitate contracta, si haec dissoluta dicantur per sententiam editam vel ab auctoritate civili, vel a quovis tribunali haeretico, eadem erunt servanda quae dicta sunt de matrimoniis baptizatorum resolutis per sententiam tribunalis saecularis, nempe caussam admittendam non esse, si rescissio proclamata fuerit ex titulo ab Ecclesia non agnito, vel servatis servandis esse ex integro instituendam, si contrarium contigerit. Si vero coniugum separatio acciderit absque ullo iudicio, observandum utrum pars quae coram tribunali catholico agere intendit, secundum matrimonium contraxerit post baptismi susceptionem, an ante. Si matrimonium acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum, utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica

interpellatio, aut saltem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum. Quatenus constiterit de facta interpellatione aut de illius dispensatione, primum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum connubium irritans; quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed Ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum sit, indicabit. Ad probandum vero, utrum interpellatio vel eius dispensatio intercesserit, consulendi erunt libri matrimoniorum, vel etiam regesta curiae, in quibus haec accurate erunt semper recensenda. Quod si secundum matrimonium contractum fuerit etiam in infidelitate, praesumendum quidem erit quod, antequam persona, de qua agitur, ad baptismum admitteretur, servata fuerint omnia quae ss. canones pro his casibus statuunt; sed si institutis opportunis investigationibus adhuc dubium subsit, ad S. Sedem erit recurrendum.

Art. V.—De impedimento impotentiae.

§ 46. Ad impugnandum ex capite impotentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solummodo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent. Ut autem impotentia matrimonium contractum irritet, necesse est ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit semper, et cum qualibet persona contractum; si vero relativa tantum, matrimonium dirimit solummodo cum illa ad quam impotentia ipsa refertur. Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem deveniatur ad adstruendam vel excludendam assertam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam sive saltem relativam.

Hunc in finem prae oculis habenda erit instructio supremae Congregationis S. Officii.

§ 47. Quod si casus occurrat, cui in instructione hac provisum non sit, ad iuris communis normam pertractetur, ac decidatur oportet.

INSTRUCTIO DE SCHOLIS PUBLICIS AD EPISCOPOS AMERICAE SEPTENTRIONALIS FOEDERATAE.

[*Ad p.* 99, *c.* I.]

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide certior facta est, in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis catholicae iuventuti e scholis publicis, quas illic vocant, gravissima damna imminere. Tristis hic nuntius effecit, ut praedicta S. Congregatio amplissimis istius ditionis Episcopis nonnullas quaestiones proponendas censuerit, quae partim ad causas, cur fideles sinant liberos suos scholas acatholicas frequentare, partim ad media quibus facilius iuvenes a scholis huiusmodi arceri possint, spectabant. Porro responsiones a laudatis Episcopis exaratae ad Supremam Congregationem Universalis Inquisitionis pro natura argumenti delatae sunt, et negotio diligenter explorato fer. IV. die 30 Iunii 1875 per Instructionem sequentem absolvendum ab Emis. Patribus iudicatum est, quam exinde SSmus. D. N. fer. IV. die 24 Novembris praedicti anni adprobare, ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberationem cadere imprimis debebat ipsa iuventutis instituendae ratio scholis huiusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculi plena, ac perquam adversa rei catholicae. Alumni enim talium scholarum cum propria earumdem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent, neque ecclesiae instruentur praeceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur. Enim vero in eiusmodi scholis iuvenes educantur iam inde a prima pueritia, ac propemodum a teneris unguiculis: qua aetate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter haerent. Aetas igitur tam flexibilis si absque religione adolescat, sane ingens malum est. Porro autem in praedictis scholis utpote seiunctis ab Ecclesiae auctoritate, indiscriminatim ex omni secta magistri adhibentur, et ceteroquin ne perniciem afferant iuventuti nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela ex hoc impendet quod in iisdem scholis aut saltem in pluribus earum utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi iuxta feminas iubentur. Quae

omnia efficiunt, ut iuventus misere exponatur damno circa fidem, ac mores periclitentur.

Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis summus Pontifex edixit, Friburgensi quondam Archiepiscopo die 14 Iulii 1864 ita scribens: "Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum huismodi vel susciperetur vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesiae non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas Ecclesiae catholicae adversas haud posse in conscientia frequentari." Et haec quidem, utpote fundata iure naturali ac divino generale quoddam enuntiant principium, vimque universalem habent, et ad eas omnes pertinent regiones, ubi perniciosissima huiusmodi iuventutis instituendae ratio infeliciter invecta fuerit.

Oportet igitur, ut Sacrorum Antistites, quacumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil tam necessarium, quam ut catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo catholicis sive condendis ubi defuerint sive amplificandis, et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adaequent, omni cura prospiciendum est. Ac tam sancto quidem exequendo consilio tamque necessario haud inutiliter adhibebuntur, si Episcopis ita visum fuerit, e Congregationibus religiosis sodales sive viri sive mulieres; sumptusque tanto operi necessarii, ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportune oblata occasione, sive pastoralibus litteris sive concionibus sive privatis colloquiis serio necesse est ut ipsi commonefiant, sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter catholicos ceteris praestant divitiis ac auctoritate apud populum; quique comitiis ferendis legibus sunt adscripti. Et vero in istis regionibus, nulla obstat lex civilis, quominus catholici ut ipsis visum fuerit propriis scholis prolem suam ad omnem scientiam

ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi catholici ut feliciter avertatur clades, quam scholarum illic publicarum institutum rei catholicae minitatur. Religio autem ac pietas ne e scholis vestris expellantur, id omnes tandem persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam ipsius florentissimae Americanae nationis, quae tantam de se spem Ecclesiae dedit.

Ceterum S. Congregatio non ignorat talia interdum rerum esse adiuncta, ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant; ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit nec ne, id conscientiae ac iudicio Ordinariorum relinquendum erit; et tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus. Tunc autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non coniunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum. Est ergo imprimis videndum, utrumne in schola de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi quod fieri remotum plane nequeat: velut quoties ibi aut docentur quaedam, aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, nedum peragi. Enim vero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali etiam vitae. Debet porro iuventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholae tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi ac missionarii, memores eorum quae providentissime hac de re Concilium Baltimorense constituit, catechesibus diligenter dent operam, iisque explicandis praecipue incumbant veritatibus fidei ac morum, quae magis ab incredulis et heterodoxis impetuntur; totque periculis expositam iuventutem impensa cura, qua frequenti sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitare. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis solicite invigilent, ac vel ipsi per se vel, si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et si quid noxium ibi deprehenderint, antidota praebeant,

eosque a familiaritate et consortio discipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant atque prohibeant. Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt; aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest, aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit, apteque instructa, et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficienti causa, ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat: eos si contumaces fuerint absolvi non posse in sacramento poenitentiae ex doctrina morali catholica manifestum est.

Haec instructio probata fuit feria IV., 24 Novembris 1875.

INSTRUCTIO S. R. ET U. INQUISITIONIS DE SECTA MASSONUM.

[*Ad p.* 137, *c.* III.]

Ad gravissima avertenda mala a *Massonum* secta aliisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, SS. D. N. Leo XIII. sapienti prorsus concilio Encyclicas Litteras *Humanum Genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandae a tam nefaria peste humanae familiae enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censurae nota inurit simulque docet, qua ratione et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum.—At cum Sanctitati Suae perspectum sit, tum demum ex curis suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ecclesiae Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremae Congregationi S. Romanae et Universalis Inquisitionis, ut quae agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus Summi Pontificis mandatis uti par est Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1°. Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti

prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri Iesu Christi, qui non venit vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam, paterna voce eos omnes, qui Massonicae aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animae sordes et ad divinae misericordiae sinum peramanter invitat. In hunc finem eadem usus benignitate, qua eius Decessor Leo XII., ad integrum anni spatium post rite vulgatas supra memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque dioecesi, suspendit tum obligationem denunciandi earundem sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservationem censurarum, peculiarem facultatem concedendo omnibus confessariis ab Ordinariis locorum adprobatis, ut eos qui vere resipuerint et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiae reconciliare valeant.—Erit igitur sacrorum Praesulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suae fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiae peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris exercitationibus, missionum in morem, oves suas ad aeternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2°. Mens porro est eiusdem Sanctitatis Suae, ut Encyclicae Litterae quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicies maneat, nisi tempestive sibi caveant. Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quae a Pontifice proponuntur, quam quae propria cuiusque prudentia suaserit, adhibeantur.—Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum; deinde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bonorum omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi vel christianae plebis a culpis expiandae, vel etiam iuventutis instituendae cura demandata fuerit, ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum, aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos praemonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3°. Ne quis vero errori locus fiat, cum diiudicandum erit, quaenam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis sectas quae c. 2. n. IV. Pontificiae Constitutionis *Apostolicae Sedis* designantur, quaeque

contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint sive non, a suis asseclis secreti servandi iuramentum.

4°. Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates quae, licet certo statui nequeat, pertineant necne ad has quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximae curae esse debet, noverint oves suas deterrendas et arcendas esse, et eo quidem diligentius, quod ob servatam ab iisdem quandam honestatis speciem corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit.

5°. Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprime utilem et Sanctitati Suae periucundam, si praeter commune et usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adiungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profligandis erroribus, quos latius et maximo cum animarum detrimento hodie disseminari Apostolicae Litterae *Humanum Genus* deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianae plebi saluberrimum, cum refutatis erroribus, christianae doctrinae vim, praestantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quae eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6°. Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiares curae sunt convertendae. Atque ad *iuventutem* quod attinet, adnitendum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione sibi ab insidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum aeternae salutis et humanae dignitatis detrimento turpissime serviendum. Iuvenum incolumitati perbene consultum

erit, si ex iis conflatae fuerint societates, quae a Beatissima Virgine aliove coelesti Patrono nomen sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praesertim iis praeficiantur sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7°. Perutile etiam est, hinc *patres*, illinc *matresfamilias* fraterno foedere coniungere eum in finem, ut viribus unitis aeternae propriae sobolis saluti rectaeque institutioni aptius studere, et efficacius consulere possint. Plures huius generis consociationes huc illuc inductae sunt, sive de viris sive de feminis agatur, quae Coelitis alicuius tutelae sese commiserunt, et laetissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8°. De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quae adscito sibi coelesti Patrono anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus ornamento, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque coetus ex iis etiam hominibus qui mercaturae negotiis vel humanioribus disciplinis esse dediderunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis aegritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his coetibus praesunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate, operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo facilius, quae ad vitam sunt necessaria, sibi parare queant. Nec detrectabunt iidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare.

9°. Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *precum et operum societas*, quae nonnullis in locis nata, in aliis iam adolescere coepit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione in universa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinaeque indignationi placandae assidue studere, facile intelligitur

quantae ea miseris hisce temporibus futura sit utilitati. Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quae a Deiparae *Rosario* nomen habet, quamque tamquam praestantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quae obiri ab iis solent qui *tertium* S. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales S. Vincentii a Paulo vel Marianos quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut praeclarissima opera quae tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10°. Optimum denique factu esset, si ubi id locorum et personarum adiuncta siverint, catholicae scientiarum *Academiae* excitarentur, illique perutiles conventus seu *Congressus*, uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque praesentia sua sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul consilia rei catholicae provehendae sub eorum auspiciis iniri, et quae tum huic tum publicae utilitati magis conferunt, statui possent.—Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiae iura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, *sociato agmine*, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes quae vividae adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11°. Quae hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur, nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis suffraganeis una consuluerint et statuerint, quid facto opus sit, ut Supremi Pastoris desideriis obsecundetur. Cuius, sicut et Supremae huiusce Congregationis, in votis est ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum quoties statum describent dioeceseon, referre ne praetermittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romae ex Cancellaria S. O. die 10 Maii 1884.

RAPHAEL CARD. MONACO.

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE CIRCA CAUSAS CLERICORUM.*

[*Ad p.* 176, *c.* III.]

Cum magnopere huius S. Consilii intersit in ecclesiasticis iudiciis eam methodum servari, quae et temporum circumstantiis opportune respondeat, et regulari iustitiae administrationi, nec non Praelatorum auctoritati tuendae, querelisque reorum praecavendis par omnino sit, placuit iterum ad examen revocari ea omnia quae in hac re pro ecclesiis foederatorum Americae Septentrionalis Statuum in Instructione diei 20 Iulii anni 1878 nec non in responsione ad dubia circa eamdem posterius proposita continebantur. Itaque S. C. omnibus mature perpensis, SSmo. D. N. Leone PP. XIII. approbante, haec quae sequuntur observanda decrevit, praecedenti Instructione ac successiva declaratione abrogata, iis exceptis quae in hac continentur.

I. Ordinarius pro suo pastorali munere tenetur disciplinam correptionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta sive praecavendis sive tollendis abusibus in clerum aliquando irrepentibus provide adhibeat.

II. Haec vero remedia alia *praeventiva* sunt, alia *repressiva.* Illa quidem ad praepedienda mala, scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Haec vero eum in finem constituta sunt, ut delinquentes ad bonam frugem revocentur, ac culparum consectaria e medio tollantur.

III. Conscientiae Ordinarii remittitur cuiusque remedii applicatio, canonicis praescriptionibus servatis pro casuum ac circumstantiarum gravitate.

IV. Praeventiva remedia sunt praecipue spiritualia exercitia, monitiones, praecepta.

V. Antequam vero ea adhibeantur, summaria factorum recognitio praecedat oportet: cuius notitiam Ordinarius servari curet ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat.

VI. Canonicae monitiones vel secreto fiunt (etiam per epistolam vel per interpositam personam) ad modum paternae correptionis, vel

* *En titulus plenus:* De modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus Clericorum in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis.

servata forma legali adhibentur, ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat.

VII. Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius iubet, per Curiam delinquenti analogum praeceptum intimari ita, ut in hoc explicetur quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgrediatur, incurret.

VIII. Praeceptum delinquenti a Curiae cancellario coram vicario generali iniungitur, aut etiam coram duobus testibus ecclesiasticis vel laicis spectatae probitatis.

1° Actus iniunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delinquente etiam, si velit.

2. Vicarius generalis iusiurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur.

IX. Quod vero pertinet ad remedia repressiva seu poenas, animadvertant Ordinarii in suo pleno vigore manere remedium extraiudiciale ex informata conscientia pro occultis reatibus a S. Concilio Tridentino constitutum Sess. XIV., cap. 1. de Reform.

X. In actione criminali vel ob praecepti inobservantiam, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem processus summarie et sine strepitu iudicii servatis semper in tota sua substantia iustitiae regulis conficiatur.

XI. Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad Curiam perlato, et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetür.

XII. Ubi Curiae iam constitutae sunt, compilatio processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat actuarius.

In dioecesibus vero in quibus Curiae episcopales nondum possint institui, interim observanda est Instructio anni 1878 cum responsione eam subsequenti ad proposita dubia. Videlicet singuli Antistites in synodo dioecesana audito clericorum consilio, quod tamen sequi non teneutur, quinque, vel ubi adiuncta rerum id fieri non sinant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in iure canonico peritis seligant ad huiusmodi officium, ut in praedicta Instructione declaratum exstat, exercendum. Quod si ob aliquam gravem causam synodus haberi nequeat, quinque vel tres ut supra ecclesiastici viri per episcopum ad idem munus deputentur. Electi

in officio manebunt usque ad proximam dioecesanae synodi celebrationem, in qua vel confirmentur vel alii eorum loco designentur. Quod si interdum morte aut renuntiatione vel alia causa praescriptus consiliariorum numerus minuatur, Episcopus audito consilio caeterorum ad commissionem pertinentium alios sufficiet. Porro commissio haec consultorum iureiurando obstricta tenetur ad officium fideliter adimplendum, et praeside Episcopo vel vicario generali rem suam aget. Defensio autem rei erit in scriptis exhibenda ad normam praesentis Instructionis.

XIII. In qualibet Curia episcopali procurator fiscalis constituetur, ut iustitiae et legi satisfiat.

XIV. Pro intimationibus vel notificationibus, si apparitores Curiae desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata, quae eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiorem reddat: vel etiam a Curia per publicos tabellarios commendatae (quibus locis hoc systema vigeat) transmittantur, exquisita fide exhibitionis atque acceptionis vel repudii. Intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant.

XV. Delicti fundamentum erui potest ex ipsa expositione habita in processu, quae authenticis informationibus vel confessione extraiudiciali, vel testium depositionibus confirmetur: transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis ad normam art. VII. et VIII. factae deducitur.

XVI. Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur quocumque rationabili dubio oppositi remoto.

XVII. Personae quae examini subiiciendae sunt, separatim audiuntur.

XVIII. Testes ad probationem, sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur praestito iuramento de veritate dicenda, et si res postulet, etiam de secreto servando. Itaque antequam testificentur, cum de veritate tum de secreto iurent. Eo magis de officio fideliter adimplendo et de secreto, pro rei de qua agitur exigentia, servando omnes iuramento obstricti sint oportet, qui in instructione processus ex suo munere partem aliquam habeant.

XIX. Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena dioecesi degunt, mediante auctoritate ecclesiastica loci in quo manent, examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur: quae quidem auctoritas in responsione normas in hac Instructione contentas observabit.

XX. Si indicentur testes, qui de factis vel circumstantiis ad meritum causae substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non licet aut decet eos citare in iudicium, vel quia rogati adesse recusent, necesse est id in actis commemorare, eorumque deficientia suppletur testimoniis aliorum, qui vel de relato vel aliter rem de qua quaeritur, noverint.

XXI. Ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus intimatione scripta ad examen vocatur.

XXII. In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra reum perlatae per extensum referuntur, ut ad responsionem se praeparare possit.

XXIII. Quod si ob accusationum qualitatem vel alia de causa haud expediat, ut in intimatione exprimantur, in hac satis erit innuere, ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat.

XXIV. Si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse iudicandum: quam intimationem si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habebitur.

XXV. Verum si ad examen accedat, audiatur: et ubi inductiones alicuius valoris exhibeat, eae, quantum fieri potest, accurate discutiantur.

XXVI. Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum, quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur et in poenas canonicas incurrisse censeatur.

XXVII. Inquisitus, ubi ex his noverit, quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit, utetur iure defensionis a se ipso in scriptis peragendae.

XXVIII. Potest etiam, si postulet, obtinere, ut terminus ad defensionem scripto exhibendam praefigatur: maxime si ob ea quae art. XXIII indicata sunt, responsionem ad accusationes contra se latas parare non potuerit.

XXIX. Absoluto processu redactor actorum summarium praecipuorum argumentorum, quae ex ipso elucent, conficiat.

XXX. Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine in scriptis exhibendi.

Quod si idoneum non reperiat, laicum catholicum adhibere potest. Quisque autem ex iis ab Ordinario approbandus est.

XXXI. Si vero reus defensorem deputare recuset, Ordinarius illum ex officio designabit.

XXXII. Defensor debitis sub cautelis in cancellaria Curiae processum eiusque summarium inspiciet, ut reum tueatur; ac defensionem ante causae ipsius propositionem scripto exhibebit. Ipse quoque ad iuramentum de secreto servando tenetur, quando iudex indolem causae id postulare censuerit.

XXXIII. Processus eiusque summarium ad procuratorem fiscalem mittitur, ut officio suo fungi possit. Postquam procurator fiscalis suas conclusiones ediderit, eaedem defensori rei communicandae sunt ut ad easdem si placuerit in scriptis respondeat; tum omnia ad ordinarium remittuntur qui, ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet in qua sententia dicenda sit.

XXXIV. Praestituta die, ab Episcopo vel vicario generali praesente procuratore fiscali et defensore sententia pronunciatur, eiusque pars dispositiva cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur.

XXXV. Sententia reo intimetur, qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere.

XXXVI. In appellatione observentur normae expressae in constit. s. m. Benedicti XIV. *Ad militantis* diei 30 Martii 1742, ac caeterae indictae a S. C. Episc. et Regul. decreto diei 18 Decembris 1835* et epistola circulari diei 1 Aug. 1851.

XXXVII. Intra terminum decem dierum a notificatione sententiae interpositio appellationis fieri debet, quo elapso tempore sententiae executio locum habet.

XXXVIII. Appellatione interposita, continuo Curia ad auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis autographis, idest processum, eius summarium, defensionem ac sententiam mittit.

XXXIX. Haec porro superioris instantiae auctoritas appellatione cognita appellanti iniungit, ut intra triginta dies defensorem deputet, qui ab ipsa approbandus est.

XL. Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasse, quam propterea iudex gradus superioris peremptam declarat.

* Vide apud *Lucidi*, l. c., vol. I. p. 534; et in foliis *Acta S. S.* vol. XIII. p. 333.

XLI. In appellatione a sententia Curiae episcopalis ad metropolitanam Archiepiscopus in causa cognoscenda ac definienda eadem procedendi methodo utetur, quae in hac instructione indicatur.

XLII. Si clericus ob communes reatus a civili potestate privilegio fori non obstante processui ac iudicio subiiciatur, Ordinarius summariam informationem criminis assumit, ac inquirit, num ad normam sacrorum canonum infamiae, irregularitati, vel alii ecclesiasticae sanctioni locus esse possit.

1°. Pendente iudicio vel imputato in carcere detento prudens consilium erit, ut Ordinarius ordinationes mere provisorias adhibeat.

2°. Iudicio absoluto si liber accusatus remittatur, Curia episcopalis iuxta informationes ut supra assumptas ea ratione procedet, quae in hac instructione constituitur.

XLIII. In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

XLIV. Haud ita facile Curiae episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, iudex appellationis a talibus damnationibus abstineat, cum ea indicia sufficiant ut in iudice, qui antea processit, ea vera et propria calumnia excludatur, quae ad huiusmodi damnationem requiritur.

XLV. Concilii Plenarii Baltimorensis II. decreta n. 125 quoad naturam missionum, et nn. 77, 108 quoad iuridicos effectus remotionis missionariorum ab officio, nullatenus innovata seu infirmata intelliguntur, salvis iis quae recentius de parochis seu rectoribus inamovibilibus constituta sunt.

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE DE COMMISSIONE INVESTIGATIONIS.*

[*Ad p.* 171, *n.* 298.]

Quamvis Concilium Plenarium Baltimorense II. ab Apostolica Sede recognitum, certam quamdam iudicii formam, iam antea a concilio provinciali S. Ludovici sancitam, in criminalibus clericorum

* *En titulus plenus:* De modo servando ab Episcopis Foederatorum Septentrionalis Americae Statuum in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus Clericorum.

causis ab ecclesiasticis curiis dioecesium Foederatorum Septentrionalis Americae Statuum pertractandis servandam esse decreverit, experientia tamen compertum est, statutum iudicii ordinem haud undequaque parem esse ad querelas eorum praecavendas, quos poena aliqua mulctari contigerit. Saepe enim postremis hisce temporibus accidit, ut presbyteri iudiciis ea ratione initis latisque sententiis damnati, remoti praesertim ab officio rectoris missionarii, huc illuc de suis Praelatis conquesti fuerint et frequenter etiam ad Apostolicam Sedem recursus detulerint. Dolendum autem est, non raro evenire, ut in transmissis actis plura, eaque necessaria desiderentur, atque perpensis omnibus gravia saepe dubia oriantur circa fidem documentis hisce in causis allatis habendam vel denegandam.

Quae omnia S. Congregatio fidei propagandae praeposita serio perpendens, aliquod remedium hisce incommodis parandum, ac ita iustitiae consulendum esse censuit, ut neque insontes clerici per iniuriam poena afficiantur, neque alicuius criminis rei ob minus rectam iudiciorum formam a promerita poena immunes evadant. Quod quidem facili pacto obtineret, si omnes praescriptiones a sacris canonibus sapienter editas pro ecclesiasticis iudiciis, praesertim criminalibus, ineundis et absolvendis servandas omnino esse praeciperet. Verum animo reputans, in praedictis Foederatorum Ordinum regionibus id facile servari non posse, ea ratione providendum esse duxit, ut saltem illae de admisso crimine accurate peragantur investigationes, quae omnino necessariae existimantur, antequam ad poenam irrogandam deveniatur.

Itaque SSmo. Domino Nostro Divina Providentia PP. Leone XIII. approbante, in generalibus comitiis habitis die 25 Iunii 1878 S. Congr. decrevit, ac districte mandavit, ut singuli memoratae regionis sacrorum Antistites, in dioecesana synodo quamprimum convocanda quinque, aut ubi ob peculiaria rerum adiuncta tot haberi nequeant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in iure canonico peritis seligant, quibus consilium quoddam iudiciale, seu, ut appellant, Commissio Investigationis constituatur, eidemque unum ex electis praeficiant. Quod si ob aliquam gravem causam synodus dioecesana statim haberi nequeat, quinque vel tres prouti supra per Episcopum interim ecclesiastici viri ad munus de quo agitur deputentur.

Commissionis ita constitutae princeps erit officium criminales atque disciplinares presbyterorum aliorumque clericorum causas, iuxta nor-

mam mox proponendam, ad examen revocare, rite cognoscere ac ita Episcopo in ipsis definiendis auxilium praebere. Satagant propterea oportet ad hoc munus electi, ut accuratae fiant investigationes, ea proferantur testimonia atque a praesumpto reo omnia exquirantur, quae ad veritatem eruendam necessaria censentur ac ad iustam sententiam tuto prudenterque ferendam certa vel satis firma argumenta suppeditent.

Quod si de alicuius rectoris missionis remotione agatur, nequeat ipse a credito sibi munere deiici, nisi tribus saltem praedictae Commissionis membris per Episcopum ad causam cognoscendam adhibitis, eorumque consilio audito.

Electi consiliarii in suscepto munere permanebunt ad proximam usque dioecesanae synodi celebrationem, in qua vel ipsi confirmentur in officio vel alii designentur. Quod si interim morte, aut renuntiatione vel alia causa praescriptus consiliariorum numerus minuatur, Episcopus extra synodum alios in deficientium locum, prout superius statutum est, sufficiat.

In causis cognoscendis, iis praesertim in quibus de rectore missionario definitive a suo officio amovendo agatur, iudicialis Commissio hanc sequetur agendi rationem.

1. Ad Commissionem investigationis non recurratur, nisi prius clare et praecise exposita ab Episcopo causa ad deiectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad Consilium deferri, quam se a munere et officio sponte dimittere.

2. Re ad Consilium delata, Episcopus vicario suo generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causae in scriptis conficiat, cum expositione investigationis eo usque peractae, et circumstantiarum, quae causam vel eiusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3. Locum, diem, et horam opportunam ad conveniendum indicet, idque per litteras ad singulos consiliarios.

4. Per litteras etiam rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad Consilium habendum advocet, exponens, nisi prudentia vetat, uti in casu criminis occulti, causam ad deiectionem moventem per extensum monensque ipsum rectorem, ut responsum suis rationibus suffultum ad ea praeparet in scriptis, quae in causae expositione vel iam antea oretenus, vel tunc in scriptis relata fuerint.

5. Convenientibus consiliariis tempore et loco praefinitis, prae-

cipiat Episcopus silentium servandum de iis, quae in Consilio audiantur; moneat investigationem non esse processum iudicialem, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veritatis diligentiori qua poterit ratione perveniatur, adeo ut unusquisque consiliarius, perpensis omnibus, opinionem de veritate factorum, quibus causa innititur, efformare quam accurate possit. Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni vel gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicumque processui coram tribunali civili.

6. Relatio causae legatur coram Consilio ab Episcopi officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a praeside vel ab aliis consiliariis per praesidem faciendas ad uberiorem rei notitiam assequendam.

7. Deinde in Consilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget, et ad interpellationes similiter respondebit, facta ipsi plena facultate ea omnia in medium afferendi, intra tempus tamen a Consilio determinandum, quae ad propriam defensionem conferre possunt.

8. Si contingat, rectorem missionarium, de cuius causa agitur, nolle ad Consilium accedere, iterum datis litteris vocetur, eique congruum temporis spatium ad comparendum praefiniatur, et si ad constitutum diem non comparuerit, dummodo legitime praepeditus non fuerit, uti contumax habeatur.

9. Quibus omnibus rite expletis, consiliarii simul consilia conferant, et si maior pars consiliariorum satis constare de factis arbitretur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis exponat rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiae; acta in Consilio ab Episcopi officiali redigantur, a praeside nomine Consilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad Episcopum deferantur.

10. Quod si ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a Consilio constituto, testes vocentur quos opportunos Consilium iudicaverit, audito etiam rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

11. Singuli testes *pro causa* seorsim et accurate examinentur a praeside et ab aliis per praesidem, absente primum rectore missionario. Non requiratur iuramentum, sed si testes ipsi non renuant, et se paratos esse declarent ad ea quae detulerint iuramento, data occasione, confirmanda, fiat adnotatio huiusmodi dispositionis seu declarationis in actis.

12. Consentientibus testibus, et dirigente prudentia Consilii, repetatur testimonium coram rectore missionario, qui et ipse testes si voluerit interroget per praesidem.

13. Eadem ratione qua testes *pro causa*, examinentur testes *contra causam*.

14. Collatis tunc consiliis fiat ut supra n. 9.

15. Quod si testes nolint aut nequeant Consilio assistere, vel eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex Consilio deputentur, qui testes adeuntes, loca invisentes, vel alio quocumque modo poterunt lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suae investigationis ad Consilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum antequam ad sententiae prolationem deveniatur.

16. Omnia acta occasione iudicii in medium allata accurate in curia episcopali custodiantur, ut in casu appellationis commode exhiberi valeant.

17. Si vero contingat, ut a sententia in curia episcopali prolata ad Archiepiscopalem provocetur, Metropolitanus eadem methodo in causae cognitione et decisione procedat.

Ex aedibus praefatae S. Congregationis die 20 Iulii anni 1878.

IOANNES CARD. SIMEONI *Praefectus.*

IOANNES BAPTISTA AGNOZZI *Secretarius.*

RESPONSIO S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE CIRCA COMMISSIONEM INVESTIGATIONIS.*

[*Ad p.* 171, *n.* 298.]

I. Instructio diei 20 Iulii 1878 lata est de casibus, in quibus ecclesiastica poena seu censura sit infligenda, aut gravi disciplinari coercitioni sit locus. Hinc Concilii Plen. Balt. II. decreta n. 125 quoad naturam missionum, nn. 77, 108 quoad iuridicos effectus remotionis missionariorum ab officio nullatenus innovata seu infirmata fuerunt.

Episcopi vero curent, ne sacerdotes sine gravi et rationabili causa de una ad aliam missionem invitos transferant. Quod si de alicuius

* *En titulus plenus:* Ad dubia circa modum servandum ab Episcopis Foederatorum Septentrionalis Americae Statuum in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus Clericorum.

rectoris definitiva remotione a munere in poenam delicti infligenda agatur, id Episcopi executioni non mandent, nisi audito prius Consilio.

II. Electio consiliariorum facienda est in synodo ad instar deputationis, seu canonica electionis Iudicum Synodalium, qui non a clero, sed ab Episcopo eliguntur, audito quidem consilio clericorum in synodo, *etsi ex causis sibi notis illud amplecti postea Episcopus noluerit*, ut bene observat Benedictus XIV. *De Syn. Dioec. l.* IV. *c.* 5. *n.* 5. Hinc absonum est ut in casu, de quo agit Instructio, horum consiliariorum electio ad clerum pertineat.

Extra synodum electio absolute ad Episcopum pertinet, quem decet, ut votum audiat reliquorum consiliariorum in casu subrogationis alicuius qui defecerit, prout Episcopus in casu deficientis Iudicis Synodalis debet *exquirere Capituli consilium, sed illud sequi non tenetur.*

III. Votum a Consilio datum est semper consultivum, et sententia definitiva Episcopo est reservata; quando enim canones dicunt aliquid ab Episcopo de capituli vel cleri consilio agendum esse, non propterea necessitatem ipsi Episcopo inducunt illud sequi, nisi expresse id cautum sit. Hinc recte dicitur in Instructione, hos consiliarios *Episcopo in causis definiendis auxilium praebere*, minime vero ipsos decidere. Sed inquisitionis acta, et opinio pandita a consiliariis est semper inserenda processui.

Ex quibus patet officium consiliariorum iudiciale quidem esse, cum instructio sit iisdem commissa, ac tanquam Adsessores Episcopo adsistant: sed patet etiam iudicialis et definitivae sententiae prolationem Episcopo esse unice reservatam.

IV. Per Instructionem sublata non est Episcopis extraordinaria facultas procedendi ad suspensionem ex informata conscientia, quatenus gravissimas et canonicas causas concurrere in Domino iudicaverint, aut gravi et urgente necessitate pro salute animarum, etiam non audito consilio, remedio aliquo providendum esse censuerint.

Liberum cuique rectori est alium sacerdotem ab Episcopo approbandum secum habere coram Consilio sive ad simplicem adsistentiam sive ad suas animadversiones aut defensionem exhibendam.

IOAN. CARD. SIMEONI, S. C. *Praefectus.*

I. B. AGNOZZI, *Secret.*

Instructio S. Congregationis de Prop. Fide supra Suspensionibus ex Informata Conscientia.

[*Ad p.* 178, *n.* 310.]

Omni tempore sollicita fuit Ecclesia ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdiceretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi suspensi manerent.

Cum autem occultorum quoque criminum, quaeque prodere non expediret, facilis et prompta, nempe a iudiciariis formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem et fidelium utilitatem tuendam; hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres Sess. XIV. cap. 1. de Reform. decreverunt: "*Ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur.*"

Ex hoc provido decreto, in eo quod refertur ad Clericorum crimina, quae extraiudicialem suspensionem ab ecclesiasticis officiis merentur, iamdudum in usu fuit suspensionis poena ex causis Praelato notis; quae nempe audit suspensio *ex informata conscientia.* Ad hoc itaque ut in eadem infligenda, cum maiori qua potest cautela et securitate Ordinarii catholicarum missionum procedant, S. Congregatio de Propaganda Fide praesentem instructionem edendam censuit, cui iidem Ordinarii in adhibendo hoc extraordinario remedio sese conformare curabunt.

1. Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa, quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.

2. In hoc praecipue ipsa differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusdem impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens, simplici utatur praecepto, quo declaret se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum vel ecclesiasticorum munium indicere.

3. Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est, die et mense designato; ideoque autem fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est, quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini decreti, Sess. XIV. c. 1. de reform., ex informata conscientia, vel ex causis ipsi Ordinario notis.

4. Debent insuper exprimi partes exercitii ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta Oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur. At si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud curiam Archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

5. Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

6. Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet crimen, seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

7. Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.

8. Verum tenet etiam suspensio si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

9. Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam delinquenti aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et charitatis eorumdem erunt, ut si istiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviat.

10. Meminerint vero Praesules, quod si contra decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem,

tunc apud ipsam comprobari debet culpa, quae eidem praebuit occasionem. Consultum idcirco erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quantumvis extraiudicialiter et secreto colligantur; ita ut eo ipso, quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis.

11. A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena multatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis usque dum ab ipso Pontifice, vel a S. Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

13. Ceterum ex quo istiusmodi poena est remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudiciariis adhibetur, prae oculis habeant Praelati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedictus XIV. in suo tractatu *de Synodo Dioeces.*, *l.* XII. *c.* 8. *n.* 6., quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis a divinis animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.

Romae ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 20 Octobris 1884.

✝

INDEX.

Ciphra arabica recta (123) numerum decreti, *obliqua* (*123*) vero paginam libri indicat; *v. h. v.* lectorem remittit ad quaerendum in Indice verbum hasce literas immediate praecedens.

A.

C.

D.

E.

F

M.

Q.

R.